

A

Nf. 14.

Schluß (S. 133 f.) fehlt.

20

COMMENTATIO THEOLOGICA
DE
OBSIGNATIONE
CHRISTI ET CREDENTIVM.

SECTIO I.

DE OBSIGNATIONE CHRISTI.

5.

How is it for Virg?



PRAEFATIO.



In commentatione theologica de obſignatione Chriſti
et Credentium, quae manibus Tuis, L. B. tradi-
tur, tres inuenies diſſertationes academicas, quas
ſub praefidio meo Ioannes Sigismundus Sommerus,
Sileius, Carolus Auguſtus ſruenſee, Halensis,
filius meus, et Gottbifl Guftauſus Vhde, Metzli-
cha-Magdeburgicus, in Alma Fridericiana Regia publice pro-
pugnauerunt. Totus tractatus in quatuor diuiditur membra,
quorum duo priora in prima diſſertatione, tertium in ſecunda,
et quartum in tetia ordine ſequenti exhibentur. Praemiffis
nonnullis, quae ad gratiam Dei redemtricem et applicatricem, nec
non ad emblemata, quibus gratia diuina nobis inſignitur, per-
tinent: primum momentum ea, quae de ſigillis in ſacro codice ge-
neratim proponuntur, abſoluit. Agitur nimirum de antiqui-
te ſigillorum; demonstratur, ſigilla pro re valde grata preiosaque
poni,

X

PRAEFATIO.

poni, signaque esse gratiae regiae; ostenditur porro, sigilla res
occludendas obsignare atque celare, nec non iisdem nos vti, quan-
do res pretiosas, seu quidquid aliorum insidiis et rapinis expositum
est, diligenter custodimus maximaque cura asseruamus; adfir-
matur deinde, vsum sigillorum primarium in eo consistere,
vt per eorundem expressionem firmam ac stabilitam nostram declare-
mus voluntatem, idque, quod maximi momenti esse iudica-
tur, testatum faciamus; docetur tandem, non solum mercato-
res empta a se bona sigillo suo obsignare, vt a ceteris, quae alio-
rum sunt, quum tempus est exportandi, sua discernant, sed etiam
seruis empritis nec non castra militaria sequentibus notam quamdam
aut in fronte aut alibi impressam fuisse, qua ab aliis distingue-
bantur, et a dominis praefectisque suis cognoscebantur;
additur denique, sigillum Spiritus sancti symbolum esse, rati-
onesque generatim adducuntur, ob quas inter Spiritum san-
ctum et sigillum comparatio in sacra scriptura instituatur.

Momentum secundum circa inuestigationem rationum praecipuarum occupatur, quare Christus Ioh. VI, 27 a Patre ob-
signatus dicatur. Scopus Christi, de se, tamquam obsignato,
loquentis, eo tendit, vt populum, quem quinque panibus et
duobus pisibus in deserto cibauerat modo miraculoſo, a ci-
batione corporis terrena ad spiritualem animi cibum ducat.
Quam ob cauſam bona caelestia auditoribus suis offert ad ani-
mae recreationem et satietatem. Ut autem vera fide nos ea
adprehendamus, addit, se a Patre obsignatum esse. Pertinet
haec obsignatio ad Christi uincionem, et denotat praedestinatio-
nem, promissionem, nec non certas, claras arque distinctas notas, qui-
bus Pater Filium insigniuit, quibusque tamquam Messias ab omnibus aliis
hominibus distinguitur. Criteria ipsa nominantur, et speciatim
ad munus Christi propheticum, sacerdotale et regium adplicantur.
Ultimo loco salus nostra in Christo obsignato ostenditur.

Momentum tertium, quod dissertatione secunda contine-
tur, obsignationem credentium passiuam copiosius exponit. Se-
des doctrinae ex sacra scriptura indicatur. Subiectum obsi-
gnatio-

PRAEFATIO.

gnationis rite constituitur. Cui credentes obsignationem
debeant, docetur. Obsignatio ipsa definitur, eamque ad vna-
dionem credentium pertinere, demonstratur. Spiritus obsi-
gnans a Patre et Filio et essentialiter et oeconomice egredi-
tur, venit ad nos, accipitur vera fide, inhabitat in nobis do-
naque euangelii nobis adplicat, nec non vires supernaturales
in credentibus conseruat. Proponitur inhabitans Spiritus san-
ctus 1) vt annulus signatorius, quem Christus, Sponsus,
sponsae suae largitur: 2) vt signum amoris Dei erga fideles,
quo de fauore summi Numinis paterno certissimi reddun-
tur: 3) vt testis libertatis nostrae, a Deo nobis datus, qui
nos doceat, ex durissima seruitute nos erexit, atque a
Deo auoptatos esse: 4) per eundem quoque Dei imago in
nobis reparatur, nouaeque nobis vires ad sanctimoniam con-
feruntur, vt Spiritu ambulare queamus: 5) signamur
eisdem tanquam pecu. in Dei seruique Christi, sub vexillo
eiusdem militantes: 6) signaculo eiusdem aeterni testamenti
benignissimi, sapientissimi, potentissimique Dei nobis credentibus
confirmantur promissiones: 7) ex eiusdem tandem obsignatione
nos certitudine de statu nostro gratiae gaudemus; vbi simul
inquiritur, quid sit testimonium spiritus nostri et Spiritus san-
cti? 8) Confirmatur denique in iis, qui Christo vera fide
addicti sunt, hereditas futura, quam in hac vita adhuc ex-
pectant, et tandem in omnia secula possidebunt. Hisce per-
actis, effectus obsignationis salutares ostenduntur, media eius-
dem et primaria et secundaria commendantur, nec non im-
pedimentorum, hominumque, vel in errore circa hancce do-
ctrinam turpissimo versantium, vel gratiam obsignantem
pereram iactitantium, fit mentio breuissima.

Momentum denique quartum, quod in dissertatione po-
strema pertractatum est, de obsignatione actiua credentium expo-
nit, ad ductum verborum Ioannis Baptiste Ioan. III, 33. Ad
duo autem dicenda referuntur capita. Primo subiectum obsi-
gnans describitur, et postea de obsignatione ipsa sermo est.

PRAEFATIO.

Obsignantes sunt, qui testimonium Christi recipiunt, et quod Christus ipse de se pronuntiauit, et quod alii de Christo dederunt. Paucissimi hominum hocce recipiunt testimonium: fit autem receptio eiusdem vera in Christum fide.

Obsignatio actua ipsa et generatim consideratur et *speciati*m. Generatim eadem fit, I. quando ea in credentibus oritur *conuictio fiducialis*, vt de veritate promissionum euangelicarum nulli dubitent. II. Coniuncta est haec diuina conuictio cum *maxima animi tranquillitate*, vt nati ex Deo in vulneribus Seruatoris sui conquiescant. III. Conseruant quoque credentes dona sibi concredita: et IV ea, quae fideles in se habent et custodiunt, data occasione *palam profitentur*.

Quae confessio et testificatio non solum fit *age* cultum diuinum et immediatum et mediatum; *sed per partiendo*, *etiam*

Speciatim obsignatio veri et eracis Dei exponitur. Postquam enim notiones *veritatis* et *veracitatis diuinae* sunt expositae, nec non *fundamentum* eartudem obsignationis rite constitutum est; ostenditur, I quomodo *veritas Dei obsigneretur*, quatenus et Deus in se ipso verus, et *archetypum* omnium rerum verarum, et in *operibus internis* *essentialibus* ac *personalibus* est verus. II Quomodo *veracitas Dei confirmetur*, quatenus eam demonstrat cum in *operibus externis*, tum in *verbis suis*, et praecipue in *doctrina de Christo*, *Sponsore et Mediatore nostro, saluberrima*.

Haec fere sunt, quae in his paginis inueniuntur, quaeque in commodum et salutem auditorum meorum honoratissimorum potissimum sunt conscripta. Faxit summum Numen, vt omnes, qui me audiunt, scriptaque mea, qualicumque sint, legunt, fideles et prudentes ex vniacione et obsignatione Spiritus sancti euadant Domini serui. Id vnicum est, quod maximopere in votis habeo. Dabam Halae Magdeburgiae in Academia Fridericiana Regia,

d. XXVI April. MDCCLIV.

DE



D.F.

CHRISTI ET CREDENTIVM OBSIGNATIONE.

§. L.

Duplici potissimum nos miseri, omni vera ob
legis diuinæ transgressionem destituti feli-
citate, cunctisque merito malis ac calamita-
tibus obnoxii, ex redēmptione Seruatoris
nostri Iesu Christi, fruimur beneficio. Al-
serum est, quod per obedientiam suam actiūam et passiūam
Deum, iratum ante ob delicta nostra iudicem, nobis placatum
et reconciliatum reddidit, vt nunc, tanquam pater in nos be-
nignus, magno ardeat desiderio, omni vberitate diuina in re-
bus Christi cœlestibus nos fortunandi, et pro diuite benefi-
centia misericordiam suam infinitam planeque stupendam qua-
uis occasione nobis largissime declarandi. Alterum, quod Spi-
ritus Duplici a
Deo fruimur
beneficio ex
Christi re-
demptione.

A 1. cap. III. ad. solo d' ritus

ritus sanctus efficaciam suam omnipotentem verique solatii plenissimam in nobis exserit, et secundum excellentem potentiae magnitudinem virtutemque egregii roboris, nos, delictis mortuos, in vitam vna cum Christo reuocat, in eaque stabilit, confirmat ac conseruat. Vtrumque istud beneficium gratiae diuinae vnice debemus incomprehensibili, quae in Christo existit cunctis hominibus salutaris, erudiens nos, ut impietati, mundanisque cupiditatibus vale dicamus, ac frugaliter, et iuste, pie que viuamus in hoc seculo, exspectantes speratam beatitudinem, aduentumque glorioſum magni Dei et Seruatoris nostri Iesu Christi, qui se ipsum pro nobis dedit, quo nos ab omni scelere vindicaret, et sibi peculiarem populum purgaret, recte factorum cupidum. Tit. II, 11-14.

§. II.

Gratia Dei redemtrix et applicatrix. Qui cum scholis loqui amant, fauorem huncce plane singularē dispescere et distinguere solent in gratiam redemtricem seu acquisitrices, cui decretrix ab omni aeternitate praecepsit, et in gratiam applicatricem seu collatricem *). Illa est quasi basis ac fundamentum. Mediator enim noster benignissimus

*) Vox gratiae vario modo in scriptura sacra accipi solet. Denotat enim 1) fauorem Dei propitium, quo mouetur ad salutem nostram procurandam: 2) benivolentiam ipsius, merito Christi provocatam, quae impellit eum, ut omnes homines ad vitam aeternam vocet: 3) operationem eius benignam in anima nostra salutarem et efficacem: denique 4) ipsa dona divina, eaque maxime spiritualia. Confer. *BV DDEI institutiones Theologiae dogmat. Lib. IV. Cap. I. §. I. p.m. 699, 700.* Quum nobis iam sermo sit de gratia applicatrice Spiritus sancti, illa significatio in censu venit, quam tertio et quarto loco commemorauimus, qua Deus in homine vitam spiritualem producit, eamque auget et confirmat, nec non multis bonorum praecipue spiritualium generibus fide praeditum largissime cumulat. Confer. *D. BREITHAVPTI Institut. Theolog. libr. III. cap. I. §. I. II.*

mus λύτρον, immo ἀντιλύτρον in iudicio diuino pro nobis soluit, ac iustitiae Dei vindicatri nōstro loco omni ex parte satisfe-
cit, mūndum Deo reconcilians, vt iustificati fide pacem cum
Deo habeamus, libertatem, fiduciamque, et aditum ad patrem
nobis placatum, et ad solium gratiae ipsius. Ephes. II, 18.
Hebr. IV, 16. *Haec* est effectus et consequens, per quam do-
norum caelestium participes reddimur, a Christo nobis reparato-
rum. Quamdiu enim a Redemptore sumus separati, quid-
quid in salutem humani generis passus est ac fecit, nullam nobis
adserit utilitatem omnimodam. Ideoque, vt, quae a Patre Me-
diator accepit, nobiscum communicet, applicari nobis meritum
ipsius per efficaciam Spiritus sancti oportet. Ad hunc finem
Spiritus a Christo in animos nostros, tanquam παράκλητος et ad-
uocatus, mittitur; vt caussam Dei agat in nobis, et conuincen-
do atque arguendo nos de peccatis nostris, et monstrando do-
nandoque nobis bona spiritualia, ex amore summi Dei, propter
Christum, Mediatorem nostrum consummatum, in nos redundan-
tia; caussamque nostram agat apud Deum, fidem veram in
animis nostris accendendo, iustitiam Christi nobis applicando,
contra accusatores, scilicet satanam et legem, coram Dei iudi-
cio nos defendendo, itemque fide in Christum praeditos do-
cendo, quomodo rite orare possint, nec non omnes eorum
fluctuationes, ex consideratione legis diuinae et satanae inge-
ssione subnatas, refutando, ex indubitate denique criteriis se-
cundum Dei verbum eis dando testimonium certissimum, quod
Deo patre fruantur indulgentissimo, ipsiusque sint filii ac haere-
des futurae gloriae exoptatissimi carissimique. *)

A 2

§. III.

*) „Complebitur vox paracleti totum officium patronatus et aduo-
„catiae, consolationem, suggestionem consiliorum, defensionem
„coram iudice clientis, de sua causa diffidentis, accusationem, sup-
„plicationem. παράκλητος καλέστα, ait Cyril. Hieros. ca-
„tech. 16, διὸ τὸ παρακαλεῖν, καὶ παραμεθεῖδαι, καὶ συναντι-
λαμ-

Gratiae ad-
plicatricis
variae sunt
species.

Si Theologorum scripta dogmatica atque ascetica consulumus, vniuersique; ea cum attentione quadam lecturo, facile patet, gratiam Spiritus sancti applicatricem secundum diuersitatem subiectorum, modique operandi supernaturalis atque incomprehensibilis, in tres plerumque species diuidi. Quarum prima gratia vocatur *praeparans* seu *praeueniens*, qua homo in peccatis mortuus ex securitatis statu somnoque spirituali excitatur, morsusque conscientia anxijs sentit, conuictus de vita anteactae prauitate, seque ad bonam frugem recipiendi necessitate. Nulla hic accedente resistentia morosa et pertinaci, sequitur gratia *operans*, circa productionem fidei, ac nouae spiritualis vitae in conversione et regeneratione oecupata. Cui denique adiungitur gratia *cooperans*, qua Spiritus sanctus, in animis regenitorum iustificatorumque habitaus, vires vitae nouae spirituales conseruat et in dies adauget, ad officia eos exsequenda, voluntati diuinae consentanea, impellit, multisque modis, calamitatibus variis obnoxiiis Christi vestigia prementibus, solatium praebet exoptatissimum atque uberrimum. *)

§. IV.

„Ἄρτερος τῆς ἀθενέας οὐν. Aliter Pater dicitur *πατέρας*, *πατέρεν*, aliter Filius, aliter Spiritus sanctus. Pater, immo tota Trinitas rogat, vt sibi reconciliemur, rogatione mandatoria, 2 Cor. V, 20. Filius intercedit intercessione formalis, *ἱλασμή*, et mediatoria. Spiritus sanctus intercedit intercessione efficiua. Dicitur Spiritus sanctus genere pro nobis, i. e. gementes nos facere, August. libr. II. de Trin. cap. III, quatenus ceterum libelorum supplicium magister nos orare docet suauissima περιγραφή, preces nostras perineat, serenat, tanquam pueris balbutientibus vocem praedit, desideria nostra in curia S. S. Trinitatis expavit magna instantia, pondere, auctoritate, postulat pro nobis gemitibus, qui, quia non ex naturae viribus, sed ex Deo, αἰδημονοι dicuntur. *) DANNHAVERVS in Hodof. p. m. 940.
Theologos gratiae applicatricis diuersas species constitueret, satis cognitum est; sed unus ordo eademque significatio non omnibus

§. IV.

A Deo itaque, summo hominum Bono, remotos, veraque omni priuatos salute, ad communionem Numinis altissimi ac sufficientissimi Spiritus sanctus serio et efficaciter vocat, inuitat, et non resistentes dicit ac trahit; ut bonorum caelestium incomparabilium ineffabilitumque, vniuerso generi humano ab aeterno destinatorum, et Christi redēptione adquisitorum, vere fiant participes, eaque fide in Christum recipient, nec non sibi cum animi fiducia adplicant; ideoque ad fruitionem beneficiorum diuinorum iunctissimam dulcissimamque perueniant, et, viribus instructi supernaturalibus, secundum legis Dei normam in timore filiali ambulent, vitamque sedulo degant casta mente puram, sanctam, atque ab omni *inconscio* spontanea longissime remotam.*)

Gratia effi-
cax.

A 3

§. V.

bus placet. Nostri instituti ratio iam non permittit, varias cruditorum hac de re fententias adducere. Praecipuas refert PFAFFIVS *institut. theol. dogm. part. II. cap. IX. §. 1. p. 516:* copiosius vero eas edislerit IOANNES MUSAEVUS *disp. V. de conuersione §. XXXII. XXXIII;* qui consulendi sunt. Confer. HOLLAZII *exam. theol. aeroam. Part. III. Sect. I. cap. IV. Q. 4. p. 225. seqq.* nec non DANNHAVERI *Hodosoph. p. m. 856.*

*) Concatenatam feriem actuum gratiae adplicatricis feliciter sane HOLLAZIVIS *in exam. theol. aeroam. part. III. sect. I. cap. IV. p. 224. 225.* ostendit in loco Act. XXVI, 18; ubi Christus Paulum ita compellat; in gentes te mitto, (*en gratiam vocationis!*) ut aperias oculos eorum, (*en illuminationem!*) et conuertantur a tenebris ad lucem, (*en actum conuersionis!*) et a potestate satanae ad Deum; (*en ipsam regenerationem, per quam filii Dei euadimus!*) ut accipiant remissionem peccatorum, (*en iustificationem!*) et formem inter eos, qui sanctificati sunt per fidem in me. (*en unitorem cum Christo per fidem, sanctificationem, sanctitatis conseruationem et glorificationem!*)

§. V.

**Necessitas
gratiae adpli-
catricis.**

Qui necessitatem gratiae applicatricis negare auderet, indicaret omnino, se nec sacra scrutari oracula ea, qua pars est, diligentia, aut fidem diuinis habere verbis nullam, nec naturam hominis post lapsum protoplastorum deperditam a bonoque omni et cogitando, et desiderando, et faciendo maxime abalienatam fatis cognoscere. Alienigenae enim in suae mentis vanitate, animo caligantes, a diuina vita alieni, propter eam, qua praediti sunt, ignorantiam, propter animi torporem, qui obducto callo seipso addixerunt libidini, ad omnem obscenitatem aude perpetrandam, non capiunt, quae sunt Spiritus Dei, quippe quae ipsis stultitia sunt, itaque non possunt ea cognoscere; et, quemadmodum ex spinis nulla colligitur vua, aut ex tribulis nulla ficus; ita tanquam arbores tetrae fructus ferre bonos Deoque sanctissimo gratos et acceptos nequaquam possunt. Eph. IV, 18. 19. 1 Cor. II, 14. Matth. VII, 17. 18. Sine Christo et Spiritu eius salutare quidquam facere, non est in viribus eorum positum, qui, sicut palmites, a vite amputati et extra projecti, arescunt, et, tanquam farmenta, colliguntur, et in ignem deflagratura coniiciuntur. Ioh. XV, 5. 6. Quae Deus Spiritu suo fide in Christum praeditis patefecit; siquidem non mundi spiritum acceperunt, sed profectum a Deo Spiritum, ut intelligant, quae ipsis largitus Deus est: ea nec oculus hominis ψυχην videt, nec auris audit, nec animus cogitat. 1 Cor. II, 9. 12. Infidelium enim mentes caecauit huius seculi deus, ne collusret eos claritas gloriofi Christi euangelii, qui est imago Dei inad-spectabilis. 2 Cor. IV, 4. Solus Spiritus sanctus, quem Christus a Patre ad nos mittit, mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio salutariter arguit. Hic solus morose et pertinaciter non resistentes, tanquam Spiritus veritatis, in omnem ducit veritatem, Christumque in primis in animis crederentium glorificat: Ioh. XVI, 8. 13. 14: siquidem nemo est, qui Dominum possit Iesum dicere, nisi per eundem Spiritum. 1 Cor. XII, 3.

Nati

Nati ex Spiritu, illi tantum sunt spiritus, Ioh. III, 6, mentem habent spiritualis, spiritualia examinant atque explorant spiritualiter, i Cor. II, 14. 15, spiritusque edunt fructus, qui sunt caritas, gaudium, pax, clementia, benignitas, bonitas, fides, lenitas, continentia. Gal. V, 22. Aguntur etenim a Spiritu, qui cuncte Dei filii sunt. Hi ad carnis libidinem amplius non vivunt: spiritu potius carnis actiones suppressunt atque interficiunt; ne moriantur, sed vivant. Rom. VIII, 12. 13. 14. Per Spiritum sanctum quoque animi credentium in Christum amore Dei perfunduntur, ut gustent et videant, quam bonus sit Iehoua, quamque felix sit homo, qui ei confidit. Rom. V, 5. Psalm. XXXIV, 9. Immo spiritus Dei habitat in iis, qui Christo vera fide adhaerent. Quod si vero quis Christi Spiritum non habet, is Christi non est. Rom. VIII, 9. *)

§. VI.

*) In vitae sanctae studio naturae vires nihil valere, sed gratiam Dei operantem et concurrentem utramque facere paginam, ideoque PELAGIVM et sectatores eius veteres ac recentiores in magno admodum versari errore, effata sacrae scripturae satis clare et luculenter docent. Ioh. XV, 6. Phil. II, 12. Quum certamina Pelagiana in ecclesia orta essent, diligenter, quam antea, haec doctrina de gratia applicatrice exculta fuit. Non enim in patrum tantum scriptis multa inueniuntur testimonia, quibus gratiae diuinae necessitatem ad singulos regenitorum actus diserte adserunt; sed variorum etiam conciliorum decretis eadem confirmata est sententia. Duo veritatis testimonia hic allegare luet. Alterum in epistola synodica concilii Carthaginensis CCXIV sacerdotum ad Zosimum hisce verbis legitur: gratiam Dei per Iesum Christum, Dominum nostrum, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos adiuuare, ita, ut sine gratia nihil verac sanctaque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus. Alterum in concilio Aranciano II can. VII exstat, atque ita se habet: Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut elige-

**Emblemata
dantur gra-
tiae superna-
turalis.**

Variis autem sub emblematis operationes sancti Spiritus supernaturales sacris in paginis nobis insinuantur, ut ex symbolis e naturae regno petitis, et ad regnum gratiae applicatis, luculentius pateat, quomodo Numen benignissimum circa salutem nostram promouendam, stabilendam, conseruandam, augendamque sit occupatum. A scopo nobis proposito haud aberraturi sumus, si locutiones quasdam de Spiritu sancto, eiusque efficacia hyperphysica, symbolicas, paucis loco attingere et de earum ratione in transitu, quasi exponere placeat breuissime: viam potius pandere nobis putamus, ut ad metam constitutam obque oculos versantem felicis perueniamus. *)

§. VII.

eligere, sine salutari, id est, euangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, et in credendo veritatem, haeretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in euangelio, dicentis: sine me nihil potestis facere. Et illud apostoli: non quid idomvi sumus cogitare aliquid a nobis, quasi a nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Plura alia eiusdem generis exhibet GERH. IOANN. VOSSIVS, hisp. Pelag. libr. III. part. II. Vid. b. BVDEI Instit. Theol. dogm. Tom. II. Lib. IV.

* Quodnam discrimen sit inter emblemata, symbola, aenigmata, et alias locutiones metaphoricas, pro instituti nostri ratione iam non curabimus. Clavisimus M. GODOFREDVS LUDOVICI in Disputatione de Philosophia Imaginum ex Iesuitae olim famosissimi, MENESTRIER, libro, cui titulus: *L'Art des Emblemes, ou s'enseigne la Morale par les figures de la Fable de l'Histoire et de la Nature, quinque imaginum et emblematum species recenset, scilicet mathematicas, philosophicas, theologicas, quae alias hieroglyphicae dicuntur seu imagines sacrae, morales, et tandem aenigmatis, sub characteribus magicis, chymicis, ηεωπτογραφιαις, scientiam celantes. Disputat deinde in ipsa tractatione prolixus de antiquitate, niture, et usu philosophiae imaginum, et abunde docet, symbola cum ipso mundo coepisse, sapientissimo Numine, quod*

§. VII.

Sacra scrutantem oracula latere nequit, Spiritum Dei sae- Emblemata
pius vocari aquam. Promissio legitur diuina apud Iesaiam quaedam no-
c. XLIV, 3: *Perfundam aqua fitientes aridumque ſolum riuis.* minantur.

Vt

quod doctrinas morum fere omnes in naturae operibus adumbra-
tas dedit, iis valde delectante. Imagines Deo placuisse, quum
manifestaret prophetis, quod adnuntiandum erat populo, satis
constat. Vid. STARCKII, Prof. olim Rostoch. *diffr. de arca-
norum diuinorum cum prophetis, Dei seruis, extante in ecclēſia
communicatione.* Methodum antiquissimorum philosophorum
per signa docendi enarrat TOBIAS PFANNERVS *in ſystem.
Theolog. gentilis cap. I. §. VII. p. XIX. ſeqq.* Gentem graecam
et veterem latinam figuratas imagines in vexillis, clypeis, vestibus,
annulis, alibique habuiffe, ex HOMERO, HERODOTO, PLU-
TARCHO, PAVSANIA, VIRGILIO, aliisque notum eſt. Im-
mo nulla gens, nullus imperator, nullus pene priuatus olim fuit,
qui fibi peculiare ſymbolum non affectauerit. Symbola PYTHA-
GORAE non ignota ſunt, quibus explicandis tot incubuerunt scripto-
res celeberrimi. Sacram ſcripturam locutionibus metaphoricis
repletam eſt, neminem Christi nomine ornatum fugit. Id quod
laboribus suis allegoricis reapeſe demonstrarunt viri doctissimi, ve-
luti FLACIVS ILLYRICVS, FESSELIVS, BINCHIVS, BAV-
MANNVS, BOTACCVS, KÖNIGIVS, aliique. Inter quos
praecepit numerandus WILHELMVS ERNESTVS EWALDV^s,
qui emblemata ſacra miſcellanea in duos libros digeſta in publicum
emisit, in quibus praeter XXIV emblemata ſelecta, plurima veteris
ac noui testamenti loca ex antiquitatibus facris et profanis va-
rio doctrinae, linguarum et numismatum adparatu illuſtrantur at-
que explicantur. Rechte ac vere itaque MAIMONIDES ſcripſiſſe
videtur: *Claui intelligentiae vniuersorum, quae Prophetae dixe-
runt, eſt intelligere parabolas, metaphoras atque aerigymata.* Si
rationes quaeris, cur Deus ſapientissimus varia fidei mysteria va-
riaque suas perfectiones ſub emblematum cortice depicta latere
voluerit, laudatus EWALDV^s in praefamine libri citati fequentes
adferit: „Primo genius ac consuetudo populi hebreaci aliarumque

B

, in

Vt vero pateat, quid per aquam hoc loco intelligatur, statim in ſequentibus adiicitur: *perfundam Spiritu meo tuam stirpem, meaque beneficentia tuam progeniem.* Spiritus sanctus eiusque dona ſalutifera intelliguntur, quando cap. LV, i omnes ſitientes inuitantur, *vt veniant ad aquam.* Quibus Christi verba respondent, quando Ioh. VII, 37 ad ſe nosmet vocat: *ſi quis ſit, veniat ad me.* Namque v. 39 haecce de aqua, cuius flumina ex eius

„in oriente habitantium gentium inualuerat, vt maxima mysteria „et quidem ſacra emblematis inuoluerent. Secundo placuit „Deo ſub V. T. aduentum Mediatoris, opusque, quod ille erat „executurus, expiatorum, totumque cultum N. T. spiritualem, „variis figuris ac umbris delineare, atque ita σοφιαν ponere εν „μυſτηριῳ. I Cor. II, 7. Quare totus cultus Leuiticus vocatur πα- „ρερβολή, immo σκάπτων μελλόντων αγοράων. Hebr. XI. Chri- „ſtus ipſe et Apoftoli in scriptis N. T. phrasibus vtuntur emble- „maticis, et praecipue iis, quae ad umbras V. T. respiciunt, praecipue quando ad Iudeos, qui eiusmodi locutionibus ab ineunte „aetate adſueti erant, loquerentur. Paulus quoque, gentium do- „ctor, in scriptis suis varias adhibet phrasēs, quae vel a ludis et „exercitiis gymnicis vel aliis ritibus Graecorum atque Romano- „rum defumtae fūnt. Tertio mira Dei sapientia ac φιλανθρω- „πία ex eiusmodi locutionibus ſymbolicis elucet. Accunt enim „hominis intellectum et ulterioris ac feriae meditationis pabulum „exhibit; immo ſuauitate ſua animum hominis, natura ſua con- „cupiſcentiis adſtrictum, ad ſpirituelles meditationes alliciunt. „Docet enim quotidiana experientia, quod imagines, a rebus fen- „ſui patentibus defumtae, magis afficiant mortalium mentes, quam „voceſ propriae et ſimplices; et quoniam mens noſtra adſueta „eſt corpori, res ſub figuris corporeis propositae maxime illam „accidunt atque afficiunt. Facili intellexu praeterea, hac emble- „matum cognitione, ſcripta Prophetarum, alias obſcura, nobis „redduntur, ipsorumque θόρος ac maiestas intenditur. Ceterum, qua ratione emblemata ac ſymbola ſacrae ſcripturae iusto modo diiudicanda atque explicanda ſint, egregie docuit b. D. RAM- „BACHIVS in tract. de ſenſis myſtici criteriis.

eius ventre fluent, qui Christo fidem habet, v. 38, additur explicatio: *Id dicebat Iesus de Spiritu, quem accepturi erant, qui in eum crederent.* Spiritus autem aqua dicitur; quia nos a foribus peccati abluit, 1 Cor. VI, 11; nos in delictis mortuos vitae spiritualis participes reddit, quamobrem aqua nominatur viua; Ioh. VII, 38; recreat quoque fitibundos in angustiis et tentationibus; ab aeterna nos liberat siti, rerum vero temporalium fitim extinguit, fitim denique vitae aeternae in nobis excitat. Ioh. IV, 14. Nomen *olei* et *vñctioñis* sanctum Spiritum obtinere, ex Ps. XLV, 8 liquet, vbi vir *Deénevoso* Christum sequenti modo adloquitur: *Deus tuus oleo te laetifico magis in-unxit, quam tuos socios;* et ex 1 Ioh. II, 20, vbi fide in Christum praediti a *Sancto* dicuntur *vñcti*. Gratiae enim suae liquore Spiritus sanctus nos perfundit, vires debilitatas roborat, tristitiae deditos exhilarat, in vitae vigorem, qui fesso sunt animo, restituit ac fouet, nec non Deo nos, vt odorem suauem, reddit gratos atque acceptos in Christo, filio Dei dilectissimo. Adpellatur quoque *ignis*. *Spiritu ardoris Deus fortes vult ablueret.* Ief. IV, 3. *Sancto Spiritu et igne nos Christus baptizat.* Matth. III, 11. In Apostolis sancto repletis Spiritu conspiciebantur diuiduae quaedam quasi *ignis* linguae. Illius enim gratia efficaci efficitur, vt concupiscentiae nostrae vitia assidue excoquantur et exurantur, cordaque nostra amore Dei et studio pietatis incendantur. Exserit enim in nobis habitans vim suam igneam penetrando, illuminando, accendendo, purgando, separando et obiectum accensum suo igne in suam indolem transformando. Describitur quoque quasi *manus Dei et digitus*. Siquidem *diuino digito Christus daemonia eiecit.* Luc. XI, 20. Digitum autem diuinum Spiritum sanctum denotare, ex Matth. XII, 28 constat, vbi Christus dicit, *je per Spiritum Dei daemonia eiicere.* Deus nimirum per Spiritum suum exercet potentiam, Spiritus adflatu diuinam nobis vitam ita inspirat, vt non amplius agamus a nobis ipsis, sed eius actione et motu regamur, vt, si qua sunt in

nobis bona, fructus sint gratiae ipsius; nostrae vero sine eo dotes mentis sint tenebrae et ad vere bona inutiles. Silentio haud prorsus praetereundam iudico miram ac illustrem noui testamenti visionem, quam ad ripas Iordanis tempore baptismi Salvatoris mundi obseruamus. Quum enim Christus ex aqua ascendiisset, aperiebantur caeli, et Iohannes vidit *Spiritum Dei* descendenterem *instar columbae*, et venientem super ipsum. Matth. III, 16 seqq. Columba hic fistitur tanquam signum et symbolum externum Spiritus sancti et largissimorum eiusdem donorum, designatque Spiritum gratiae, libertatis, precum, mansuetudinis, castitatis, sanctitatis, puritatis, et adoptionis, quemadmodum oeconomiae nouae ratio postulat, ut pote quae est gratiae, non seruitutis.

§. VIII.

Scopus emblematum. Longe plura Spiritus sancti emblemata in sacro reperiuntur codice, quae, ut breuibus multa dicam, duplum potissimum prae se habent scopum: I. ut doceant, nos extra Christum positos omniisque vera priuatos salute, nostris viribus, quae in rebus spiritualibus nullae sunt, ad possessionem et fruitionem bonorum caelestium minime peruenire posse, sed efficacia et auxilio omnipotente Spiritus sancti nos indigere, qua Christus meritumque ipsius nobis adplicetur, nosque ad Christi trahamur communionem; II. ut ex iis perspiciamus, absque sancti Spiritus gratia inhabitante nullam apud nos in fide ac charitate reperiri perseuerantiam, nullam nobis esse de statu nostro gratiae firmam fundatamque certitudinem, nullamque in nobis permanere alacritatem et facultatem in exequendis a Deo praescriptis officiis. Spiritus sanctus ergo is est, qui pro sua benevolentia in nobis efficit, ut velimus et efficiamus. Phil. II, 13. Sed instituti ratio non permittit, in limine disputationis longius persistere. Rem ipsam potius adgredior; quum in animum induxerim, unicum tantummodo Symbolum de Spiritu sancto vberius explicare deque eo solide exponere, atque

quae ad veram eius intelligentiam, veramque spectant aedificationem. Symbolum vero istud in animo gero, quod *a sigillo sumitur*, et unde *Christus ob-signatus et credentes in Christum ob-signati* appellantur.

§. IX.

Vt vero iusto procedamus ordine, primum de *sigillo ipso* nonnulla monenda veniunt; deinde considerandum est, quomodo *Christus ob-signatus* dicatur; porro pluribus demonstrandum est, quid sibi velit *ob-signatio passiva*, quam Christo addicti in se sentiunt; et denique rationes sunt adducendae, quare credentes *ob-signantes* nominentur, quidque per *ob-signationem adiuam* intelligatur.

Dicendo-
rum ordo.

§. X.

Nolo nunc e longinquō et ex variis scriptoribus profanis repetere, quae ad originem vñiusque sigillorum apud veteres spectant; quum ab eruditissimis viris hac de re iamiam satis expositum sit, nec ea inuestigatio multum utilitatis doctrinae pertractandae adferre possit. *) Sufficit mihi, breuibus tantummodo attingere, quae in sacra scriptura de sigillis commemorantur. Ex ea etenim clare perspicimus, sequentia extra dubium esse posita momenta.

§. XI.

*) Quid per sigillum intelligatur, NAGELIUS in *disp. sub praesidio Fridericianae* olim *Directoris*, b. IVSTI HENNINGII BOEHMERI habita prolixè exposuit. De *ob-signatione iudiciali* illustris iam Acad. Frid. Director CAROLVS GOTTLIEB KNORRIVS solide egit in peculiari dissertatione. Quaenam sigilla apud *Hebreos, Aegyptior, Persas, Cyrenenses, Graecos, Romanos, Byzantinos, Francos, et Germanos* olim in *vñi* fuerint, HEINECCIVS do- enit in *syntag. hist. de sigillis*. Conf. etiam de variis nominis sigilli notionibus MATTHIAE FLACII *Clausis scripturae sacrae p. m. 1164v*

§. XI.

Sigillorum
antiquitas.

I. *Sigilla apud vetustissimos populos in usu fuerunt.* Prima eorum fit mentio Gen. XXXVIII, 18. 25. Thamar enim a Iuda arrabonem postulat, donec haedum promissum miserit: et ad quaestionem Iudee, quemnam dem arrabonem? Thamar respondet; *annulum tuum, et vittam, et quem manu geris, baculum.* Quumque postea Thamar stuprata ex mandato Iudee duceretur, ut igni cremaretur, *annulum* socero suo cum vittis et baculo misit, iussitque, ut recognoscatur, cuius illa sint. Annulum hic denotare instrumentum, quo aliquid obsignatur, seu annulum signatorium, et ex verbis δακτύλιον et σημεῖον, quae in fonte leguntur, *) deque sigillo usurpantur, liquet; et ex more veterum cognoscitur, annulum signatorium, quo sigillum imprimere solebant, in digito manus gerentium. Sic Ester. III, 12 litterae regis annulo obsignatae dicuntur. Conf. cap. VIII, 8. Inter Aegyptios tempore Iosephi sigilla cognita fuisse, ex eo satis luculenter adparet, quod Gen. XLI, 42 rex Pharaeo detractum de sua manu annulum Iosephi manui induisse dicatur. Reges vero annulis ad sigilla exprimenda imprimis usos esse, ex dictis, iam supra citatis, non solum patet, sed et alia scripturae loca illud confirmant. E. g. Iezabel litteras Achabi regis nomine non solum scripsit, verum etiam eius annulo obsignavit. I Reg. XXI, 8. Saxum adlatum et speluncae ostio admotum regis procerumque annulis obsignabatur, Dan. VI, 17, ne, quod de Daniele placitum erat, impediretur. In gente iudaica denique non tantum erant *signatores*: Nhem. X, 1: sed etiam *caelato-*

*) IOHANNES CLERICVS in *Commentario ad b. I.* momenta duo nostrae inferuentia sententiae adserit. Primum enim ostendit, δακτύλιον significare sigillum; δακτύλιον vero, seu annulum vertere LXX et Vulg. Int. quia in annulis sigilla esse solebant. Deinde ex HERODOTO obseruat, sic instructos processisse Babylonios: οφεσύδαι δέ έκαστος ἔχει, τοις σκηπτρούς: singuli sigillum et sceptrum habent.

latores sigillares, Exod. XXVIII, 11, *) gemmas caelantes, ut sit in sigillis, v. 21, inque lamina ex auro puro facta insculpentes, *Iehouae Sacrum*. v. 36. Conf. c. XXXIX, 14.

§. XII.

II. *Sigilla pro re valde grata pretiosaque sunt posita et adhuc ponuntur*; quia iis in rebus maximi momenti confirmandis vtimur, eaque in annulo, quem in digito circumferimus, ornamenti gratia habemus. Propheta *Ezechiel*, ex mandato diuino beneficia in regem Tyri collata recensens, deque eo threnodium canens, ob benignitatis ac beneficentiae Dei abusum, inter alia eum vocat חותם סכנת ob-signantem summam seu demensum cap. XXVIII, 12. Variantes quidem horum verborum inueniuntur explicationes: sed, aut indicant, regem Tyri tantam molem opum, sapientiae, gloriae et omnis felicitatis acquisiuisse, vt nihil accedere posse videatur; aut denotant, regem tum exportandarum mercium, tum persoluendum sibi vestigium ob-signasse summam; aut signatorem significant mensurae, allusione facta ad morem emporii, in quo summae potestatis est, mensuras vt et monetas signare; aut ex aliorum sententia חותם per kamets legendum et per annulum signatorium explicandum, qui iustae figurae siue optime est figuratus: tamen in eo omnes conueniunt, maxima hic praedicari beneficia Dei omnipotentis, quibus ita regem Tyri cumulauit, vt ad dignitatem et regiam magnificentiam ipsius nihil amplius addi potuerit. Sigillum etenim quasi perfectum, quin verum exemplar

Sigilla sunt
grata ac pre-
tiosa.

*) חותם opificem lapidis uno verbo scalptorem dicere possimus. Ex hoc etiam loco colligitur, ab antiquissimis temporibus usum increbuisse gemmarum scalptarum, quae sigilli loco essent. De geminarum scalptoribus varia habet PLINIVS Hist. Nat. lib. XXVII c. I: nihil tamen, quod ad hanc antiquitatem adsurgat biblicam. Conf. IOH. CLERICVS ad h. l.

plar felicissimi fuit principis. *) Si autem et hic locus aliquid obscuri inuoluat, clarius verbum Domini Hagg. II, 24 indicabit, quanto in pretio habita olim sint sigilla. Promittit enim Iehoua, Deus exercituum, *Zorobabeli, se eum adsciturum et pro annulo signatorio habiturum, quoniam ipsum delegerit.* Ut alias taceam rationes, ob quas *Zorobabel*, tanquam sigillum, a Deo electus dicatur, duarum tantum pro scopo meo imprese- fentiарum facio mentionem: quarum altera est, quod Deus *Zorobabelem*, seruum suum obsequientissimum, valde amauerit fauoreque plane singulari eum amplexus sit, quoniam iussu ipsius fideliter executus erat et cultum eius serio promouerat, aedificando templum Domini; altera, quod Deus obsequium *Zorobabelis* ita voluerit remunerari, vt, ex multorum interpretum iudicio, Christum ex progenie ipsius nasciturum pollicitus sit: id quod in summo honore sibi patres prisci collocauerunt, atque hac sola spe scipios felicissimos censuerunt. Hac itaque ratione *Zorobabel* sicut sigillum in filio suo, scilicet Christo, ponetur, quod homines in manu atque prae oculis ferre magnique facere solent. Quae promissio diuina maximum omnino *Zorobabeli* adferret honorem, quod Deus pollicitus est, se illum illustraturum in Christo Domino, ex eo nascituro. **) Quod iam de Zorobabele retuli, maiorem accipit luem claritatemque, quando consideramus minas Dei iustissimas, quas Prophetas Ieremias cap. XXII, 24 ex mandato diuino aduersus *Choniam* sequenti modo pronunciauit. *Ita viuam, inquit Iehoua, etiam si esset Chonias, Ioachimi, Iudeae regis, filius, mihi annulus in manu dextra, inde te auellam.* Annulo signatorio *Chonias* comparatur, quoniam ex benevolentia Dei in regio constitutus erat

*) Vid. IO. FRID. STARCKII *Comment. in Prophetam Ezechielern*
ad b. L

**) Conf. b. D. IO. HEINR. MICHAELIS *Biblia Hebr.* eiusdemque obseruat. in b. l. nec non IO. MARCKII *Comment. in Prophe-*
minor.

erat fastigio, magna valebat auctoritate, et custodia ceterisque
fruebatur beneficiis diuinis; quibus praecepit adnumerandum
est, quod Christus, Saluator mundi, ex progenie eius ortum
suum traxerit: nihilo minus autem Deus iustissimus eum abie-
cit, et ob facinora grauissima in manus Nebucadnezaris, Baby-
loniae regis, eum tradidit. Ex sua ipsius culpa itaque dignitate
sua regia omnibusque aliis priuilegiis, quae maxima erant, pri-
uatus, idem iudicium turpitudinis expertus est, quod patri
v. 18. 19 advunciaabatur. *Sic enim Iehoua Ioachimo, Iosiae filio,
Iudeae regi, minabatur. Non plangetur, heu, frater! heu, so-
ror! non plangetur, heu, domine! heu, maiestas!* Asini sepul-
tura sepelietur, raptatus et projectus extra portas Hierosolynae.
Eiusdem dedecoris Choniam factum esse participem, licet ante-
tea, tanquam sigillum Dei, in summo effet honoris fastigio, ver-
ba docent v. 28; vbi de eo sequentia leguntur: *Contemtane et
cassa statua est homo iste Chonias? aut vas, quod displiceat? ut
transferatur et ipse et eius progenies, et in ignotam sibi terram
prosificantur;* et denique v. 30 dicit Iehoua: *scribatur homo iste
orbus, vir infelcis aeuus; quippe cuius ex stirpe nemo sit eam fe-
licitatem consecuturus, ut in Davidis solio sedear, aut deinceps
imperet Iudeae.* Hi sunt tristissimi peccatorum effectus.
Quemadmodum enim pietas ad omnia vtilis, promissiones ha-
bens et praesentis et futurae vitae: I Tim. IV, 8: ita vitia pra-
ua ad omnia nocent, eaque poenae sequuntur et in hoc et in
futuro seculo exitiales.*). Haud leuiter autem rem praesentem
illu-

*) Duae hic apud interpretes exsurgunt quaestiones, quae ut tan-
gantur, dignae merito videntur.

I. *Quomodo haec communatio conueniat cum promissione diuina,*
quam Ps. LXXXIX, 36. 37. 38 inuenimus? Leguntur autem se-
quentia ibi verba: *Semel per sanctitatem meam tiro, Davidi non
mentitur, eius semen aeternum fore, eiusque solium ut sollem
apud me, utque huius duraturum semper, ut sit testis fidus in
aethere.*

illūstrat effatum et adlocutio ſponsae ad Sponſum ſuum, Iefum Christum; Cant. VIII, 6; quum ſibimet ipſa expetit: *Admoue, ſeu pone me tanquam ſigillum tuo pectori, tanquam ſigillum tuo brachio.* Per ſigillum hic denotatur aut instrumentum ſignandi, quod ſuper cor ut monile ponebatur, et in manu ut res magni pretii circumferebatur; aut imago per ſigillum expreſſa, quemadmodum gentes nonnullae eorum, quos diligebat, notas et signa quaedam ſuper cor et ſuper brachia inuiferunt vel inſculpferunt. Idem autem ſenſus manet ac perinde eft, quamnam quis explicatiōnem eligere velit. Memoriae etenim, prouidentiae, ac tuteſiae Sponſi ſponsa ſe commendat, vt inſtar ſigilli, quod magni pretii eſſe ſolet, eam ſibi habeat coniunctiſſimam, nec uia quam ipſius memoriam e pectore ſuo excidere finat. In animo, manibus ac coram oculis ſemper omniq[ue] potius tempore eam gerat, tamquam ab ipſo amatam; quam gratia ac virtute ſua nunquam deſtituat; cuius nunquam obliuiaſcatur, quamque in ſtatu gratiae ſtabiliat, cuique in dies ſuum fauorem exoptatiſſimum dulciſſimumque per Spirituſ ſancti teſtimoniū ac per gulfum do- norum caeleſtium ſuauiſſimum conſiſmet, eiаſque eam certiorem red-

aethere. Sed reſpondetur: Gratia Dei ob horrenda peccata pro genieſ dauidiae admodum vitioſae ad tempus abſcondita et quaſi interrupta fuit; minime vero plane extincta et abrogata: ſuccelſu enim temporis rurſus emerſit et ſe maniſteſtavit et in Zorobabele, qui rurſus ſigillum Domini gratum et accepturn nominatus eſt, Hagg. II, 24, et praecipue in Christo, qui extitit furculus e radice ſeu trunco ſucciſo Ifai, et ab eius radicibus pullulauit ſtolo ſeu virgultum. Ief. XI, 2.

II. *Quomodo Chonias orbus dicatur, quam liberos cum habuiffe conſuet?* v. 28. i Par. III, 17. 18. Ad hanc vero obiectionem diuendam ſpectat, quod *Chonias* orbus dicatur, quia ſceptri haeredem non habuit, filiosque non tam vitae ſuani atque amoena, quam ferro et exilio genuiſſe viſus eſt. Conf. MATTHAEI POLT *Synop. Critic.* ad b. I, vbi plures inueniuntur rationes, ob quaes *Chonias* orbus ſeu ſterilis nominetur.

reddat.* Ex dictis itaque iamiam adductis manifeste constat ac liquet haud obscure, sigilla ut res gratas atque acceptas in sacris proponi litteris. Quibus adhuc vnicum addere placet effatum, a Siracide cap. XVII, 18 hisce verbis prolatum: Ἐλεημοσήν αὐδέος ὡς σφραγίς μετ' ἀντεῖ, καὶ χάριν αὐθόπε τὸς κόρην σύντηξεσ. Apud Deum hominis beneficentia tamquam sigillum est, conservabitque hominis benigne factum tamquam pupillam. Quemadmodum enim sigilla magna cum cura ob magnum pretium, quod ipsis tribuimus, custodiuntur, et annuli signatorii, quos in manu gerimus, coram oculis nostris vndeque versantur; ita Deo benignissimo opera nostra misericordiae, quae ex vera in Christum fide proueniunt, fructusque sunt Spiritus sancti, mirum in modum placent, in iisque valde delectatur, eorum minime obliuiscitur; multis potius bonis caelestibus ac spiritualibus beneficia in alios collata remuneratur.

§. XIII.

III. Conuenit fere cum hac nostra obseruatione ea, quam nunc tertio loco proponimus: scilicet, *sigilla signa sunt gratiae regiae*.

C 2

- * Interpretes nonnulli veteres hoc dictum non adlocutionem sponsae ad sponsum, sed potius sponsi ad sponsam in se continere putant: inter quos GREGORIVS, cuius commentatio in h. l, ita loquitur: *In corde sunt cogitationes et in brachio operationes. Super cor ergo et super brachium sponsae dilectæ ut signaculum ponitur, quia in sancta anima, quantum ab ea diligatur, et voluntate et actione designatur. Signum quippe sancta mens interius et exteriorius Christum portat, quia dum in eius meditationibus assidue laborat, in exteriori actione eum imitari non cessat, quo eius dilecta esse dubitari non debet.* Eadem fuit olim sententiam IOHANNES GERHARDVS, quam in eius Postill. Salom. pag. 283 inuenimus. Ita enim sensum textus, quem l. c. fuisse explicauit, in compendio quasi exhibet: *o sponsa dilecta, semper in animo me geras, ut me ames; in brachio, ut me ornes.* Sed lingua hebraica eam non admittit explicationem: quia et verbum et geminum suffixum in genere masculino expressa sunt. - Vid. IO. HEINR. MICHAELIS uberiores annotat. ad h. l.

tiae regiae, ususque eorum praerogatiuam quamdam p[re]ae aliis indicat. Pharao, Rex Aegypti, quum Iosepho totius Aegypti curam traderet, vt regiae domus gubernationem haberet, omnisque ipsi populus ad nutum obediret, *detractum de sua manu annulum signatorium Iosephi manui induit*; eumque byssina veste ornatum, collo aureo torque insignito, in currum dignitate secundum imposuit, vt ante eum proclamaretur: genua flectite. Quin immo, potestatem ei in omnem Aegyptum permisit. Quam voluntatem suam regiam iuramento deinde confirmauit religioso, dum addidit, Iosephum adloquendo: Viuam, vt nemo in tota Aegypto digitum contra tuam voluntatem proferat. Gen. XLI, 40-44. Idem benevolentiae regiae signum Abasuerus, qui ab India ad Aethiopiam vsque centum viginti septem prouincias imperio tenuit, in *Hamanem*, Iudeorum hostem acerbissimum, declarauit. Quum enim Haman regi proponeret, esse quemdam inter caeteras nationes dispersum dissipatumque per omnes imperii eius fines populum, qui leges ab omnium gentium legibus ac statutis alienas haberet, neque regiis pareret legibus, quemque tolerari ipsi non expediret; quumque adderet, si regi placeret, scripto esse promulgandum publico, vt interirent; promitteretque, se decem argenti talentorum millia procuratoribus in manus appensurum, quae in fiscum referrentur: tunc rex hisce auditis perspectisque pollicitationibus *annulum sibi de manu detraxit et Hamani tradidit*, ad benevolentiam suam regiam erga eum palam significandam, potestatemque ei tradendam Iudeos occidendi exque regione sua plane extirpandi. Esther. III, 8-10. *) Inter signa

*) Annulum nonnumquam non priuatam modo dignitatem, sed et sumnum imperium significare apud Orientales, CLERICVS monet in Comment. Philolog. ad Gen. XLI, refertque, Chalifam annulum gessisse imperii insigne, qui ad successorem via cum potestate transiit. Sententiam suam probat ex ELMACINI Libr. II. Cap.

signa honoris, eminentiae et fastus, atque inter ornamenti signa esse non solum ex Ies. III, 21 per picimus, vbi inter ornamenti decus mulierum Sionis, quod Deo iustissimo, ex animo superbo quia emanauit et cum philautia prava coniunctum fuit, vehementer dispergit, quodque austere minatus est, *annuli* referuntur: sed etiam ex epistola Iacobi cap. II, 2. 3 satis aperte cognoscimus. Sribit enim Apostolus, Christo addicatos discrimen apud se fecisse et male iudicantes fuisse iudices, dum, si quis, aureos gestans annulos, in ueste splendida, in eorum conuentum ingressus sit, eodemque intrauerit etiam pauper in obsoleta ueste, in eum, qui uestem gestauerit splendidam, intuiti sint eique dixerint: tu sede hic pulchre; pauperi autem dixerint: tu istuc sta, aut hic sub meo subsellio sede. Non habet personarum Deus rationem, qui eum metuit, et iustitiam exercet, is ei acceptus est: Act. X, 34. 35: ita nec in iis, qui ipsi detiti sunt, comprobat προσωποληψίαν; omnes enim, qui Christum induere, idem sunt in Christo Iesu. Gal. III, 27. 28. *)

C 3

§. XIV.

Cap. VII; vbi sequentia leguntur: *Taberus mitris occisi Chalifae Alaminii caput, annulum Chalifatus, paludamentum et sceptrum ad Almanonem, qui ei succedit. Alexandrum morientem detractum annulum digito Perdiccae tradidisse, et ex eo postea summam imperii ad eum deferendam homines censuisse, auctor est CVRTIVS Libr. X. cap. V.* Apud quem, consentiente IVSTINO, relatum quoque legimus, *Alexandrum, Dario victo, ad Asiaticos scribentem, annulo, quem Dario abstulerat, litteras signauisse, significantem, se iam esse Asiae regem.* Traditionem annuli signum simul esse summae amicitiae cum eo, et fiduciae in eo, cui traditur, ex TVLLI ad Q. fratrem litteris videmus, in quibus sequentia legimus: *Sit annulus tuus, non ut vas aliquod, sed tamquam ipse tu;* non minister alienae voluntatis, sed tuis tuae.

*) Canonem Iudeorum HAMMONDV ad h. I. adducit, sic se habentem: *Si diues et pauper caussam agunt coram consistorio ipsorum, aut uterque sedat, aut uterque fiet; ne qua sit discriminatio-*

§. XIV.

Sigilla res
occludendas
celant.

IV. Sigillorum quoque usus in eo consistit, ut res occluden-
dae iis ob-signentur adeoque celentur. Iussus est a lehoua Iesaias,
 propheta; ut premat vel abscondat oraculum et ob-signet disciplinam seu doctrinam, apud discipulos Domini, hac praemissione, quod multis Iudeis, ex eorum culpa, in ~~anachoreta~~ nempe carnali persistentibus, Christus lapis offendiculi, et saxum offensionis, laqueus et tendicula fuerit, in quem impingebant, et cadebant, et frangebantur, et irretiebantur, et capiebantur. cap. VIII, 14. 15. 16. Doctrina legis et praeципue euangelii ob-signanda mandabatur, quia intelligi non poterat, nisi ab iis, qui diuinitus edocti erant. Velamen enim quasi erat super cor eorum, qui gratiae Spiritus sancti illuminanti morose resistebant: quare testa et celata ipsis Domini manebant vaticinia, perinde ac verba ob-signari libri, qui, si litterarum perito tradatur, isque iubeatur, eum legere, neget se posse, quippe ob-signatum. Cap. XXIX, II. Non ideo a nobis percipitur doctrina caelestis, quod ingenio et eruditione valeamus; sed abscondita atque occlusa manet: quoniam sacrae litterae minime salutariter intelliguntur, nisi per Spiritum, per quem scriptae sunt ac inspiratae. Eadem est ratio, ob quam saepius oracula diuina claudi seu ob-signari iubentur et in nouo et in veteri Testamento. Dan. VIII, 26. XII, 4. 9. Apoc. V, 1. X, 4. XXII, 10. Non qui-

nisi nota. Sunt, teste GROTIUS in b. l. in ecclesia et sui sedilium ordines, sed ex virtutibus, non ex opibus. TERTULLIANVS suo tempore dixit: prae-sident probati quique seniores, honorem ipsum non pretio, sed testimonio adepti. Recele ergo, ex sententia dicti GROTIUS, Iacobus, quem intellexisset, morem inualuisse dandi procedere ex opibus, non ex virtutibus, huic malo multa post se mala tracturo occurrit. Etiam in republica egregium illud Sallustii, sive alterius, qui C. Caesari dat consilium: ergo in primis auctoritatem pecuniae demito: neque de capite, neque de honore ex copiis quisquam magis aut minus iudicauerit: neque praetor, neque consul ex opulentia, verum ex dignitate creetur.

quidem Deus omni modo abscondi vult, quod viris *Georγeūsōis* in populi totius utilitatem patescit: sed vaticinia occultari dicuntur, *primum*, quia nec a profanis hominibus percipiuntur, nec fructus salutis illis ex iis oriri potest; *deinde*, quia eorum argumenta ad longinquā saepius tempora spectant, ad quae, tamquam ob-signata, ideo conseruantur; *denique*, quia multi propter eventus dilationem de iis dubitant; vera autem fide in Deum veracissimum praediti ea custodiunt, ut thesaurum pretiosissimum continent, ac studiose conseruant, olim ipsis usui maximo et solatio exoptatissimo certissime futurum. Litteras ad alios exaratas eam ob caussam ob-signari, ne ab illis legantur, ad quos non sunt scriptae, omnibus cognitum est et perspectum. Quum *Ieremias* tempore belli, Hierosolyma iamiam obfessa, ex nutu diuino ab *Hanameele* fundum Anathothensem emeret, appenderetque ei argentum, septem scilicet sculos et decem argenteos; hocce negotium in scheda scriptis in eaque ob-signauit, cheamque postea Baruch tradidit, mandauitque, ut *schedam ob-signatam* in vas fictile reponeret, quo duret diu quasi in occulto.*) Addit autem ex Dei inspiratione vaticinium diuino auxilio certissime implendum, Israëlitis licet occultatum et quasi ob-signatum, post captiuitatem babyloniam scilicet aliquando cunctum iri ruris domos, et fundos, et vineas in hac terra, ex qua iam captiui abducebantur. Cap. XXXII, 9. 10.

Nam-

*) *GATAKERVS in Synopsi. POLI Critic.* illustrat hunc ex antiquitate locum sequenti modo. „Illo, inquit, tempore in omnibus contractibus non adhibebantur tabelliones, sed emtor duo instrumenta eodem fere exemplo scribebat: alterum signabat figlio suo; alterum patens ostendebat testibus, ut in eo scriberent nomina sua, et sciarent, de quo inter quos conuenisset. Nomina scribebantur in auerla parte viriusque instrumenti, ne opus esset alterum resignare. Dixi, eodem fere exemplo; nam quadam erant in signato instrumento, quae nolabant testibus nota esse, nimisrum conditiones et tempus redēctionis, ut cauerent infidias. *הנוגאים*.

Namque ita claris verbis Ichoua euentum obsignati atque absconditi in oculis populi Israelitici indicat v. 42. 43: *Quemadmodum inuexi isti populo istud tam ingens malum; ita inueham eis omne bonum, quod eis promitto; emeteturque ager in ista terra, quam vos dicitis hominibus pecudibusque derelictam, venire in Chaldaeorum porestatem.* Ementur agri argento, seralenturque et obsignabuntur scbedae, et testes adhibebuntur in Beniamitide finitimisque Hierosolymae et in oppidis Iudeis, in montanis, in campestribus ac meridianis, quum reuocauero eos captiuos, inquit Iehoua. Sic Deus iustissimus punit, qui praeccepta eius transgrediuntur, vitiisque se se tradunt; miseretur autem eorum, qui ipsum verentur gratiaeque Spiritus sancti se se permittunt operanti, ut in eorum animos det metum Domini, ne ab eo amplius discedant. v. 40. Notatu autem in primis hoc loco digna videtur promissio euangelica, quae Dan. IX, 24 occurrit; vbi inter maxima Dei beneficia, per Christum generi humano conferenda, peccatorum obsignatio numeratur. Iobus quidem iam suo tempore his verbis Deum iustissimum adloquitur: *obsignata est quasi in sacculo iniq[ue]itas mea;* Cap. XIV, 17; sed multum differt ibi sensus a locutionibus, in loco, ex Prophetâ Daniele adducto, obuiis. Iobus enim, tanquam desperabundus fere, conqueritur ex affectu tristissimo ob conscientiae morsus anxios corporisque dolores vehementissimos, quos sentiebat, Deum sanctissimum ita peccata ab ipso commissa quasi obseruare ac cura sollicita custodire, ne vnum excidat, imo proferre, tanquam e thesauro, eorum poenas; quemadmodum pecuniam seu rem magni pretii in vnum fasciculum colligere, colligatamque crumenam sedulo asseruare, saepe etiam sigillo munire solemus. Conuenit haec querela iudicis summi effato Deut. XXXII, 34. Postquam enim de Israëlitarum hostibus iudicium sequens tulerat; de vitibus Sodomitarum illorum vites sunt, deque Gomorranis agris, quibus viuae felleae, quibus acerbi sunt racemi, quorum vinum virus est

est draconum, dirumque fel aspidum: addit Deus omniscius, iustissima accusus ob iniurias hominum nequissimas ira: *Hoc est sane apud me conditum, meis in capsis obsignatum;* *) ne scilicet peccatorum quid pereat, aut in obliuionem eat, aut impunitum sit. Non propterea, quod vltionem differam, tempus que vltionis ignotum sit, atque vltio ut res abscondita atque obsignata praeuideri nequeat; non propterea, inquam, scelerum gentium, praeuaricationumque inimicorum meorum meique populi oblitus sum, debito potius tempore vindictam sumam acerbissinam, licet peccatores securi sint, nec, quid apud me super eos definitum sit, intelligent. At longe aliter res se habet in oraculo, *Danieli ab angelo, Domini nuntio, edito a nobisque supra adnotato:* quod sane gratiosissimum plenumque est benignitatis ac misericordiae diuinae, in Christo et propter meritum ipsius nobis miseris declaratae, atque auxi-

*) Seu, ut magis emphatice per quaestionem in fonte hebraeo exprimitur: *Nonne conditum hoc est apud me? signatumque in thesauris meis?* Lectu digna videntur, quae IOANNES CLERICVS ad hunc locum satis eruditæ sequenti modo scripsit: *Quaecunque sunt ab Hebraeorum hostibus, Chaldaeis aliisque, ea in tabulas relata adseruantur, ut suo tempore inspiciantur, et poenae de peccatoribus sumantur. Metaphora desumpta a Regibus, qui in tabulariis aliquando seruant accusationes in suis, donec aptiore tempore rem cognoscere possint.* Prouocat deinde CLERICVS ad testimonium EVRIPIDIS, apud STOBAEVM Eclog. Phys. Lib. I. cap. VII. p. 8; vbi sequentia leguntur:

Δοκεῖτε πηδαύ τ' αδιημάτ' εἰς θεός'

Πτερώσι, καὶ πεπτέν Δίος δελτε πτυχαῖς

Γραφεαν την ἀντο Ζῆνα δ' εἰσογόντα γεν

Θυντος δικαζεν.

Creditis delicta subfiliare ad Deos

Alata, deinde et in Iouis membranis,

Aliquem eadem scribere, illisque inspectis, Iouem

Mortales iudicare.

auxiliante et operante Spiritu sancto omnibus omni tempore vere resipiscientibus declarandae. *Obsignata* nempe sunt peccata nostra. Quid dulcius ac suauius homini, peccata sua lugenti, hac promissione euangelica, in toto mundo vnam esse potest? Non ita etenim peccata obsignata dicuntur, ac si supplicium de peccatoribus in posterum adhuc sumere vellet Deus: sed quemadmodum reliqua huius dicti verba ad promissiones euangelicas spectant; ita peccatorum obsignatio nihil aliud inuoluit, nisi gratuitam eorum remissionem, et ob Christi meritum plenariam a conspectu Dei remotionem, Rom. VIII, 1. Ps. LI, 11, nec non in profundo maris, ut eorum nulla porro fiat mentio, demersionem. Mich. VII, 19. In eadem significatione vox ista occurrat Iob. IX, 7: vbi Deus stellas obsignare dicitur. Quae obsignatio seu occultatio fit vel ob splendorem claritatemque solis, vel ob nubium obductionem, vel ob tempestates, quibus etiam nocte stellarum lumen obsfuscatur. *)

§. XV.

Ad custodiendum quid sigillis vti solemus, quando res pretiosas, seu quidquid aliorum insidiis et rapinis expositum est, diligenter mur.

*) De signandi more res occludendas SALMASIVS hanc adfert sententiam: *Romanos annulo segnasse omnia, quae domi clausa volebant vindicare a domesticorum et seruorum rapinis, capsas, arcas, armaria, penum, cellas, amphoras, lagenas, et reliqua utensilia, quae aliquid furto et rapinae obnoxium continerent, sive res cibi esset, sive potus, sive quaecunque alia species.* CLEMENS ALEXANDRINVS Libr. III. Paedag. c. XI matrifamilias annulum attribuit, non tam ad ornatum, quam ad custodiam; ut confignet, vindicetque a fraude, vel furto, quod ad penum pertinet. Idem CICERO Lib. XVI epist. ad famil. XXVI de matre sua scribit; *quod lagenas etiam vacuas obsignarit, ne dicerentur inanes aliquae fuisse, quae furtim effent exficcatae.* Conferenda hic sunt verba PLINII Hist. Nat. Lib. XXIII c. I. *Quae fuit, inquit, illa priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur? At nunc cibi quoque ac votus annulo vindicantur a rapina.*

genter ac maxima cura custodimus afferuamusque. Encomium notatum dignissimum est, quod sponsae ponsus tribuit Cant. IV, 12; quem eam nominat *hortum obseratum, fluctum conclusum, fontemque ob-signatum*. Hisce etenim similitudinibus indicatur, sponsam sponso non solum vnicesse consecratam, et quod ad interiorum introitum atque usum eius, tamquam horti florentissimi, attinet, omnibus aliis, praeter sponsum, occlusam, nec non seram esse adhibitam, ad accessum extraneorum impediendum; ne fluctum donorum gratiae vberrimorum corrumpant, nec abducant, nec eo abutantur, nec cum inepta quadam cauillatione eum contemplentur: verum etiam diligentissime eam diuina gratia custoditam auctoritateque sponsi summa esse consignata; ut inuiolabilis, secura atque intacta maneat.*). Sepulchrum Christi hostes ipsius eam ob caussam signauerunt, praeterea adhibitam custodiam, ne forte, ut Pilato persuadebant, eius discipuli eum surreptum irent, dicerentque populo, eum ex mortuis surrexisse. Matth. XXVII, 64. 66. Idem accidit Danieli. Quum enim ex inimicorum insidiis in leonum specum coniiceretur, saxum adlatum et speluncae ostio admotum, ac regis procerumque annulis ob-signatum est; ne, quod de Daniele placitum erat, impediretur. Dan. VI, 16, Conf. Bel. 10. 13. Pertinet huc quoque Votum Siracidis Cap. XXII, 33: Utinam habeam praefectam ori meo custodiam, et labris firmum sigillum, ne his delinquam, et mea lingua perdat.

§. XVI.

VI. Silentio plane, et absque mentione facta, istum sigillorum usum primarium praetermittere non possumus, qui ad confirmationem rei maximi momenti, firmamque ac stabilitatem pertinet

D 2

Per sigilla
sit voluntatis
nostrae con-
firmatio.

*.) Puteos, quos inuiolatos prisci volebant, clausos olim fuisse et quasi ob-signatos, ex Gen. XXIX, 10 liquet. Apud Persas fontes fuisse, e quibus solus rex et filius natu maximus biberet, proposita capitali poena, si quis alias eos attigisset, DANNHAVERVUS in Disp. Thol. XVI p. 428 ex monumentis historicis refert.

voluntatis nostrae declarationem, quae fit per sigilla expressa. Hodie adhuc die et in iudicio publico et in actionibus priuatis mos obseruatur quotidianus, vt non modo voluntati nostrae per litteras manifestatae nomen adiiciamus scriptum, sed etiam, vt maiorem apud alios fidem scripturae faciamus, sigillum adponamus. Morem illum apud priscos in vsu iamiam fuisse, ex historia satis luculenter patet. Filii Israe lis quum nouum firmumque cum Deo foedus percuterent ac renouarent, illud non tantum scriperunt; sed et per principes et leuitas obsignauerunt. Nehem. IX, 38. Κατεργάσαθη, ita dicunt homines malitiosi, λογισέμενοι ἐπὶ ορθῶς, *sigillo quasi confirmatum est*, vt aetum nostrum vmbrae sit transito, neque regressum habeat obitus noster, nec vllus vnquam reuertatur. Sap. II, 4. 5. Haec subest ratio, quare circumcisionis nota *sigillum vocetur iustitiae fidei* Rom. IV, 11. In praeputio Abrahamus iustitiam Messiae fide adeptus est: sed ad confirmandam fidei iustitiam ex mandato Dei circumcidebatur. Eandem ob caussam Paulus 1 Cor. IX, 2 Corinthios vere conuersos muneric*sui sigillum* adpellat in Domino. Quemadmodum sigillum adpositum certum praebet veritatis testimonium: ita per conuerzionem Corinthiorum absque omni dubio constabat, Paulum verum esse Iesu Christi Apostolum. Aderat enim diuina vocatio; aderat etiam ex fructuosa euangelii praedicatione diuina confirmatio.

§. XVII.

VII. Non prorsus incognitum esse potest, mercatores empta a se bona sigillo suo obsignare; vt a ceteris, quae aliorum sunt, cum tempus est exportandi, sua discernant. Nec minus latet antiquitatis et historiae peritos, seruis potissimum emptitiis nec non castra militaria sequentibus notam quamdam aut in fronte aut alibi impressam fuisse, qua ab aliis distinguebantur et a dominis praefectisque suis cognoscebantur. Ad eam respicit facer codex consuetudinem; quando *credentes*, vt pecu-

Sigillum
nota est pe-
culii nostri.

peculum Dei, seruos Christi et milites spirituales, signatos adpellari. Quemadmodum enim domus Rachabae funiculo coccineo notata erat, ut certum ea signum haberet, Israëlitæ parentes eius, fratres, sorores, quaeque habebant omnia, conservatores animasque eorum a morte defensuros esse, quum terram Chananaeam inuasuri, laqueum istum coccineum fenebrae domus, in qua Rachabae vniuersa paterna familia congregata erat, adligatum viderent; Ios. II, 13. 18; et sicuti superliminaria et vterque postis aedium Israëlitarum in Aegypto fascieulo hyssopi, in sanguinem peluis immerso, infecta erant; ut Ichoua, quum caederet Aegyptios, ostia, quorum in superliminariis et postibus sanguinem conspiceret, praeteriret, neque sine ret perditorem domos Israëlitarum intrare et iis cladem inferre: Exod. XII, 22. 23: sic Christo vera fide addicti redemptoris sui sanguine conspersi, I Pet. I, 2, et Spiritu sancto ob-signati et notati sunt; Eph. IV, 30; ut testimonium habeant certissimum, quo iniuncti omni tempore, et quavis occasione certiores esse possunt, se esse populum Dei adquisitum, Deumque curam eorum agere specialissimam, ne pereant, nec ipsis aliquid accidat, quod damno ipsis aeterno esse queat. Quum supplicia prauis Iudeis imminenter grauissima, sex homines Propheta Ezechiel cap. IX, 2 seqq. vidit, suum quisque exitiabile telum manu ferens; inter quos autem vir vius fuit lino vestitus, in latere scriptorium habens atramentarium, ad quem sic Ichoua clamauit: peragra urbem Hierosolymam, et nota signato frontes hominum, qui ad tot, quae in ea sunt, flagitia congeminiscent atque suspirant. Exitiabile autem telum manu ferentibus dixit: peragrate urbem post eum, et caedite sine villa continentia: senes, iuuenes, virgines, parvulos, mulieres funditus occidite; sed quis quis notam habebit, ad eum ne accedite. *) En prouidentiam

D 3

Dei

*) Suauissima sunt AVGVSTINI verba in h. l. quae sic se habent:
 „Signati sunt in fronte; in fronte interioris hominis, non exte-
 ,rioris

Dei in suos paternam! Videt Summum Numen in medio impiorum latentes atque absconditos, ipsi vere adhaerentes, ipsumque ex toto animo colentes, non consentientes in prauorum flagitia, ea potius improbantes et in Sodoma huius mundi suspirantes. Hisce Deus parcit, quum reis iustas infligat poenas. Non quidem ab omni molestia immunes sunt: sed eripit suos iusto tempore pater caelestis ex omni malo; nec ipsis solatium medias inter tribulationes deest Spiritus sancti. Sentient quidem calamitates; sed iis minime submerguntur. Conf. Apoc. II, 17. cap. III, 12. cap. XIV, 1.

§. XVIII.

Sigillum est symbolum Spiritus sancti. VIII. *Sigillum denique Spiritus sancti symbolum esse*, de eo sacra scriptura nos dubitare non sinit. Credentes enim *consignati* dicuntur *Spiritu sancto promissionis*, Eph. I, 13, sanctum Dei Spiritum contrastare prohibitur, quo *consignati sunt* ad libe-

„rioris. Est enim frons in facie, est frons in conscientia. De-
„nique aliquando, quando frons interior pulsatur, exterior obru-
„bescit, aut pudore obrubescit, aut timore pallescit. Est ergo
„frons hominis interioris. Ibi signati sunt isti, ne vastentur: quia,
„etsi peccata, quae siebant in medio eorum, non corrigebant, ta-
„men dolebant, et ipso se dolore separabant, et separati Deo ocu-
„lis hominum mixti erant. Signantur occulte, non laeduntur
„aperte. - - - Signum Christi in fronte intus portantes, securi
„sunt inter malos., TERTULLIANVM, MALDONATVM, PRA-
„DVM, CORNELIVM a LAPIDE et alios hoc σημεῖον, quo
Deus fideles ornauit, de signo crucis exponere, et interpretes
nonnullos putare signum illud fuisse litteram T, ad crucem
Christi significandam, nec non, hunc significatum נ hebraicum
admittere, et reliqua huc pertinientia LEIGHIVS in critica sa-
cra, et PFEIFFERVS in dub. vex. prolixe ostenderunt. Conf.
STARCKII Comment. in b.l. COCCETI Comm. in b.l. ANTONII
BYNAEI Christus crucifixus. cap. I. §. 23. p.m. 44.

liberationis diem. Cap. IV, 30. *) Spiritus promissionis Numen venerandum appellatur, non tantum, quia omnes promissiones diuinae eum habent auctorem ab eoque sanctis viris sunt dictitatae atque inspiratae; sed etiam, quia et in veteri et in novo testamento a Christo nobis promissus est; quin immo efficaciae ipsius supernaturali vnicore debemus, quod promissionum diuinarum participes reddimur bonaque spiritualia ex Christo, salutis fonte, adipiscimur. Nam absque Spiritu sancto nullus Christum salutariter agnoscit, nec ullus vera fide eum apprehendit, nec ad gustum fauoris Dei, ut patris benignissimi, peruenit. *Contristari τὸ πνεῦμα τὸ ἄγιον*, ipse Spiritus sanctus, ab illis potest, qui eo sunt ob-signati; quum non modo tristitia per otiosā verba, v. 29, acerbitatem, odium, iram, clamositatem, maledicentiam, aut quocumque vitium, v. 31, iis adseratur, in quibus Spiritus sanctus habitat: sed et ipsum Numen adorandum contristari dicitur αὐθεωποναθῶς; si officia nobis praescripta, ad quae exequenda nos impellit, deserimus, tradimusque animum nostrum, templum illud sanctificatum ac purgatum, ἐν ᾧ τὸ πνεῦμα τῆς αληθείας μονὴν ἔχει, Ioh. XIV, 16 seqq. vitiis prauis, adeoque materiam tristitiae illi praebemus eumque ex domo sua, quam inhabitat, quasi expellimus. Moni-

tum

- *) Extra oleas vagari, qui verbum οφεωγίζειν ita comparatum esse, contendunt, ut cultui Dianaee, inter Ephesios celebratissimo, Paulus eo illudat, 10. CHRISTOPH. WOLFIUS in curis philologic. ad Ephes. I, 13 pluribus docet. AMELIUS Part. II. pag. 293 seqq. der Erörterung, et, qui sub illo nomine latet, PETR. ZORNIUS in Biblioteca Antiquario-Exegetica Tom. I. p. 316. seq., rem ita instituit. Ait enim, gentilibus οφεωγίδας, sigilla, notas seu symbola quaedam recepta suisse, quae facerdotes impetrare consueverint illis, qui in mysteriorum societatem cooptarentur. Sed, licet haec vera sint, quae de gentilibus resert; longius tamen omnino sunt petita, ea ad οφεωγίσμεν τῷ πνευματὶ adplicare, quin in propinquuo sint, quae dictiones sacrae scripturae de credentium ob-signatione illustrandae inferuant.

tum idem de non contristando Deo summo iamiam in foedere
prisco reperitur. Quum Iehoua polliceretur Exod. XXIII, 20,
ſe populo Israelis praemissurum Angelum, increatum ſcilicet,
qui illum tueretur in itinere et produceret in locum praeparatum
ac destinatum; ſequenteſem addit exhortationem v. 21: *Ab
hoc tibi caueo; huic pareto; hunc ne irritato: neque enim ignoſer
peccatis uestris; quoniam meo nomine praeditus erit.* Huic
pracepto diuino Israelitas morem minime geſiſſe, ex Ief.
LXIII, 10 patet; vbi contumaces illi nominantur, qui *sancto Dei
Spiritui dolorem fecerunt; ipſe itaque versus eis in basilem,* dicitur,
qui ipſe eos oppugnauerit. *)

§. XIX.

*) Quae de contriſtatione Spiritus sancti prolixe dici poſſunt, GOTT-
LIEB WERNSDORFIUS in peculiari diſertatione, Wittbergae
MDCCV habita, collegit. Non ingratum fortasse *Lectori Bene-*
uolo erit, ſi hic adponam, quea de hacre *Celeberrimus VITRINGA* in
eruditissimo ſuo *Commentario in Iefaiam ad Cap. LXIII, 3* inter alia
profert. „Dolore, inquit, afficere Spiritum sanctum, metaphoris
„ca phraſis, rarioribus in verbo Dei, vel mitiore vel fortio-
rem interpretationem admittit. Si molliore ſenſu ſumas, ſignifi-
cat; Spiritui sancto occaſionem dare in nobis non operandi ad
laetitiam, vt ſolet; non influendi ſua gratia in animum; opera-
tiones gratiae ſuae ad tempus animo subtrahendi; ſimilitudine
„ſumpta ab amico, qui vbi quem videt ſapientiſſimis conſiliis ſuis
„non auſcultare, ſe ad tempus ipſi ſubducit, eumque monere de-
„ſinit. Imo vero hominem ad tempus ſibi relinquere, et permit-
tere quoque, vt conſiliis Spiritus sancti, et conuictionibus inter-
nis immoriger, incidat in grauiores tentationes, quas diſculter
eluctetur; vt a tergo ſentiat amaros fructus Spiritus sancti tristi-
tia affecti; h. e. ita ſe erga hominem gerentis, vt ſolent amici
contriſtati. Sed si phraſis ἐγεγὼſ ſumatur, notat Spiritum
sanctum iniuria afficere; tum obſtinate riſiſtendo et obniſtendo
eius conſiliis, moniti, demonstrationibus, conuictionibus; tum
demonſtrationes, doctrinas, iſtitutiones eius contemnendo,
contumelioſe iſectando, proterue repellendo, et blaſphemando.”
Conf. Act. VII, 51. Hebr. X, 29. Matth. XII, 31.

§. XIX.

Rationes, ob quas inter Spiritum sanctum et sigillum comparatio instituatur, in promptu sunt; si modo repetere libet quasdam notiones de sigillis supra adductas. Est etenim *domum pretiosissimum*, quod a Patre per et propter Filium nobis datur. Namque ἡμετέρα ipsi cum Patre et Filio verissime competit. Siquidem ipse Iehoua est, qui per prophetas et apostolos ad nos loquitur; Luc. I, 70. 2 Sam. XXIII, 2.3. 2 Petr. I, 21; qui populum Israēliticum per desertum in terram Canaan duxit; Deut. XXXII, 12. Eſai. LXIII, 10. 11; cui, tamquam vero Deo, Ananias mentitus est; Act. V, 4; ob cuius inhabitacionem corda nostra templa Dei adpellantur; 1 Cor. III, 16. 17; qui vniuersum hoc per omnipotentiam suam absolutam creauit Gen. I, 3. Ps. XXXIII, 6; qui omnibus locis ob praesentiam suam infinitat adeſt; Ps. CXXXIX, 6, omnemque orbem terrarum implet; Sap. XII, 1. c. I, 7; qui est spiritus roboris et virtutis, Eſai. XI, 2, omnia in omnibus operans, et per quem Christus miracula sua patrauit; Matth. XII, 28; qui denique caeleſti δοξολογία ab angelis honoratur atque adoratur. Eſai. VI, 3. 5. Quemadmodum itaque ecclesiam Deus suo sanguine comparuit: Act. XX, 28: ita et Deus ipse sigillum nostrum est, atque ipſe nos obſignat, quo ſinis altissimi Numinis, nostram respiciens veram atque aeternam ſalutem Nominisque ſui celiffimi gloriam, obtineri poſſit.

§. XX.

Sigillum porro Spiritus sanctus vocatur, quia *immissio eius in animos credentium documentum plane est singulare diuini erga nos favoris ac benevolentiae omni admiratione dignissimae*. Vt enim in eo patuit Dei in nos amor, quod filium suum unicum miserit in mundum, vt per eum viuamus: 1 Ioh. IV, 9: sic et amor Dei effunditur in animos nostros per Spiritum sanctum, qui iustificatis ex fide datur. Rom. V, 5. Superabundanti benignissimi Dei debemus beneficentiae, quod mensura

Quam ob
cauſā Spi-
ritus sanctus
figilli nomi-
ne inſigni-
tur.

Spiritus
sanctus de
amore Dei
erga nos te-
ſtimonium
dat.

Spiritus sancti vberima nobis promittitur, offertur atque impertitur. Nam perfundit aqua fitientes, aridumque solum ruis: perfundit Spiritu suo stirpem Iacobi spiritualem, suaque beneficentia progeniem Israelis ipsi concreditam, ita ut gramine more pullulent, tamquam ad aquam profluentem salices. Isa. XLIV, 3. 4. Ioel II, 28. Nominatur hanc ob caussam Spiritus gratiae Ebr. X, 29, Zach. XII, 10: quia et donum diuinum est ex mera gratia, et homini gratiam Dei per Christum recuperatam applicat, et testimonium praebet de gratia Dei, seu de Deo nobis placato in Christo, fide apprehensio. In statu enim sumus gratiae, quando Spiritus Dei in nobis habitat. Quod si autem quis Christi Spiritum non habet, is Christi non est. Nam quicumque Dei Spiritu aguntur, ii tantum filii Dei sunt. Rom. VIII, 9. 10. 14. Operationes eius gratiosas si absque morosa admittimus resistentia, mentis oculi illuminantur, natuuaeque intellectus tenebrae discutiuntur, nec non agnitionis fauoris ac benevolentiae diuinae animis coecis adfertur, vt aptifiant, gratiam oblatam desiderio experendi intimo, nisique insigni eam recipiendi; expellitur quoque horror ex tonitru legis, conscientia peccatorum, et iusto vindictae Dei metu ortum trahens; vnde clarior in dies existit foederis gratiae intelligentia, maior fauoris Dei sensus, *πραγμάτων* confidentior, consolatioque in Christi vniione vberior, nec non spontanea voluntatis propriae abnegatio, studiumque indefessum, omnia rite exsequendi, quae leges summi Numinis placatique Patris prescribunt. *)

§. XXI.

¶ Operationes hasce Spiritus sancti optime coniungit BERNHARDVS. Serm. II in pentec. *Spiritus sanctus*, inquit, donat animae proximo pignus salutis, scilicet testimonium, quod filius Dei sis. Secundo, robur vitae, ut in laboribus, vigiliis, et in omnibus observantie delicitabiliter incedas. Tertio, scientiae lumen, ut, quam omnia lene feceris, te seruum inutilem puter, et quidquid boni in te inuenieris, illi tribuar, a quo omne bonum es.

§. XXI.

Commode haec doctrina illustrari potest ex parabola, Doctrina de
Spiritū fan-
tō, vt sigil-
lo gratiae, il-
lustratur. quam Christus, summus noster Doctor, Luc. XV, *de filio prodi-
go, at resipiente et in grātiā a patre recepto, adfert.* Quum enim filius antea dissolutus, ad frugem rediens, et ad patrem suum sese recipiens, peccata sua candide confiteretur, seque in-dignum declararet, qui patris filius diceretur; eum adhuc procul absentem conspicatus pater, misertus accurrebat, eumque non solum amplectebatur, et osculabatur; sed etiam ex man-dato patris priorem proferabant serui stolam, eumque induebant, nec non eius manui *annulum* et calceos pedibus adhibebant. Hic ordo clarissime indicatur, quo homo peccator grātiae diuinae particeps fiat, de eaque certior immo certissimus reddatur. Gratia praeueniens praeparat, vt ad sese redire, et ex somno securitatis resuscitari possit peccator. Operans grātia tristitiam ob peccata commissa excitat, contritumque pecca-torem ad solum benevolentiae diuinæ dicit ac trahit. Fauor benignus reuertentem clementissime excipit et per osculum, tamquam reconciliationis signum, summam benignitatem pater caelestis indulgentissimus declarat, peccataque seria poenitudi-ne ducto ex intimo misericordiae motu remittit. Primam stolam, quam antea peccator habuit, seu vitae innocentiam, quae in Christi iustitia fundata est, adserre iubet, illaque eum induere. *) Ne vero dubium aliquod de plenaria ac summa Dei benevolentia in animo peccatoris, a patre conciliato in

E. 2.

gra-

*) Τὴν σολὴν τὴν πρώτην THEOPHYLACTVS reddit τὴν ἀχείαν, cui, teste CALOVIO in bibl. illus. ad b. l. TITVS BOSTRENSIS confronat, adferte, inquiens, primam stolam, quam perdidit, nimirum quum a patre discessit, hoc est, fidem, cognitionem veritatis ac induere eum illa, qui eam exiit. Cui ex allegatione laudati CALOVII verba respondent CHRYSOLOGI sic se habentia: Pa-terna pietas non contenta innocentiam reparare solam, nisi et pri-stinum restituat honorem.

gratiam recepti paternam, remaneat, *annulum*, vt signum verae amicitiae penitus restauratae, ipsi donat. *) *Annulum* autem Spiritus sancti hoc loco symbolum esse praeclarissimum, ex eo luculentissime patet, quod ille animis nostris testimonium praebet, nos esse Dei filios, Rom. VIII, 16, quin immo arra ac sigillum est, quo nos Deus obsignat. 2 Cor. I, 22. **) Si vero Spiritus sanctus, vti donum diuinum, in nobis est; tunc per eiusdem operationes Deus poenitentibus, et in gratiam receptis, gratiam atque vim concedit, vt in viis sanctitatis suae ambulare, praeceptis suis obedientiam praestare, nec non apti esse queant, aliis et voce et exemplo docendis. Haec autem facultas per ὑποδήματα eis πόδας clarissime indicari, quis negabit?

§. XXII

Sigillum est
emblema Spi-
ritus sancti
gratiae inha-
bitantis.

Sub sigilli denique nomine Spiritus sanctus nobis proponitur, vt operationum eiusdem gratiae inhabitantis atque immaterialis indolem ac rationem ex eo luculenter perspiciamus. Sigillorum etenim usus, in communi vita obuius, ad efficaciam Spiritus sancti, quam in animis suis fide in Christum praediti sentiunt atque experientur, commodissime applicari atque adcommodari potest. In rebus ciuilibus imago, figillo insculpta, rei obsignandae inprimitur, ad vindicandum et appropriandum sibi ali-

*) Egregia et lectu sunt dignissima, quae b. JOHANNES ARNDTIVS in Vero Christianismo Libr. II Cap. VIII de variis gratiae diuinae in explicatione huius parabolae adfert speciebus. Loquitur enim admodum solide ac pie de gratia praeueniente, expectante, suscipiente, consolante, iustificante, despondente, confirmante, vivificantte, laetificantte et coronante.

**) Ex mente GROTHI apud Romanos ingenuitatis, apud Orientis populos dignitatis eximiae signum δεκτύασον fuit. Quum autem, ex eiusdem sententia, annuli usus inter alia sit signare, non male veteres respondere annulo putant donum Spiritus sancti, qui nos obsignat.

aliquid, ad distinguendum aliquid ab altero, ad custodiendum et muniendum aliquid, ad confirmando pacta, promissa, mandata et contractus. Eademi ratione Deus credentes Spiritu sancto, tamquam sigillo, obsignat: ex quo unio cum sancto Spiritu oritur mystica eaque arctissima, imago Dei in illis exprimitur verissima, peculum Dei fiunt carissimum, discrimen constituitur inter Deo deditos atque a Deo remotos maximum, ab hostiis insidiis tuti atque incolumes conseruantur ac custodiuntur, in statu gratiae confirmantur, deque iure ac dignitate *ὑπόθεσις* et *κληρονομίας* caelestis atque aeternae certi ac indubitati reddituntur. Haec vero potiora sunt momenta, de quibus prolixius agere constituimus, quum de credentium obsignatione passiuia sermo nobis erit.

§. XXIII.

Expositis nunc, quae ad *notiones sigillorum biblicas* pertinent, progredimur ad breuiorem *secundi* dissertationis *momenti* explicationem, quae circa inuestigationem rationum praecipuarum occupata est, quare *Christus a Patre obsignatus* dicatur. Audiamus Seruatorem nostrum ipsum benignissimum veracissimumque de hac sua obsignatione loquentem. Ita enim hominum turbam, Capernaum venientem cumque querentem, Ioh. VI, 27 addiquitur: Εγέρθε οὐκ τὴν βρῶσιν τὴν ἀπελλυμένην, ἀλλὰ τὴν βρῶσιν τὴν μένουσαν εἰς ζωήν αἰώνιον, ἵν δὲ ως τοῦ αὐθιδάτου ὑμῶν δάστε τούτον γαρ οὐ πατήσῃ φρεγάσεις οὐ Θεός. Ita effatum hocce comparatum est, vt, si omnes in eo veritates occurrentes iusto modo considerare atque enucleare nobis animus esset, commentarium nos scribere oporteret amplissimum. Sufficiat autem impræsentiarum pro scopo nostro illud explicare paucissimis, et breuiter conceptus in eodem obuios evoluere.

De obsignatione Christi.

§. XXIV.

Primarius Christi haec verba proferentis et tendit scopus, vt populum, quem quinque panibus et duobus piscibus in deserto

Scopus,
quare Christus de ob-

ciba-

signatione
sua loqua-
tur.

cibauerat modo miraculoſo, a cibatione corporis terrena ad spiritualem animi cibum ducat. Magna omnino inter Christi auditores orta est commotio, quum animaduerterent, eum non ſolum quinque millibus virorum per discipulos suos cibum diſtribuiffe vsque ad plenariam ſatietaatem, licet quinque tantum aderent panes hordeacei duoque pifces; ſed etiam ex manda-to Domini discipulos collegiffe fruſta, quae conuiuis ſuperfue-rant, et duodecim eos canistra ex quinque hordeaceis panibus iisdem repleuiffere. Animorum motus ſatis luculenter manifeſtos reddiderunt auditores Christi, quim, veheſentiffima per-moti admiratione, inter ſemetipsos colloquerentur, Iesum vere vatem illum eſſe, qui in orbem eſſet venturus. Immo ipſe Christus, ſecundum omniscientiam ſuam bene intelligens, ven-turos eos eſſe, et ſe rapturos, vt regem ipſum facerent, ſeceſſit in montem ipſe ſolus, et poſtea lacum cum discipulis ſuis Ca-pernaum petiturus traiecit; vt eriperet ipſis occaſionem, per-uerso ipſi adhaerendi modo, ideasque de regno quodam terre-stri erigendo vanas fouendi. Quum autem homines inquieti at-que impetu inordinato nouatirientes et ipſi naues conſe-de-rent, ac denuo ad Iesum venirent, intima Seruator animorum ſenſa eorum detegit, ſequentibus eos ſalutans verbis: Profecto, profecto, non ideo me quaeritis, quia portenta vidiftis, ſed quia panem comediftis ad ſatietaatem. Inculpat hac adlocu-tione optimus, ſummus ac ſapienſiſſimus doctoṛ Iudeos ni-miae curiositatii, ad carnalem direclae finem, eosque reuocat ab interitu aeterno in verae ſalutis viam. Ideoque ipſis moni-strat, regnum gratiae et gloriae ad eſſe, quod erigere ſtudebat, cibumque corporale ſymbolum atque emblema eſſe bono-rum ſpiritualium regni caeleſtis, quorum participes eos reddere voletabat. Addit denique, ad eum ſe a Patre obſignatum eſſe ſcopum, vt, iſi modo mentis oculos obſcurare nollent, ex cri-te-riis certiſſimiſ atque indubitatiſ, ſe a Deo in ſalutem eorum

prae-

prae destinatum et in hunc mundum esse missum, penitus cognoscere et proſus dijudicare poſſent.

§. XXV.

A cibo pereunte itaque Iudeorum animos Iesu auertere Cibus pe-
cupit, quem magno ardore expetebant, quicunque vnicice in eorum riens et ma-
erat votis; nimirum, ut in commodis externis, tamquam ho-
mines terreni, suas satiarent cupiditates. Omnia haec cibo-
rum genera, quae ad hanc modo vitam spectant, et non solum
victum, sed et quaevis bona huius mundi in ſe continent, qui-
bus desiderium noſtrum infinitum minime satiari poſteſt, cadu-
ca ſunt et pereunt. Non itaque digna habenda, ut in eorum
adquisitione anxie ſubſiſtamus. Commendat potius Redemptor
noſter fideliffimus curam indeſeffam circa cibum manentem in
vitam aeternam. Pecuniam non vult impendere, vbi panis ſeu
victus animae immortali non comparatur: vinum, et lac of-
fert, quae absque pecunia aut pretio emere poſſumus; vnde
vera animorum ſatietas oritur, ex quorum gusto optimis delicis
appetitus noſter fruitur, ac in quibus vera et aeterna vita exiſtit.
Ief. LV, 1. 2. 3. Haec ſunt bona regni gratiae, quae potiſſi-
mum iuſitiam Chriſti, pacem cum Deo, et gaudium in Spiritu
ſancto in ſe comprehendunt, Rom. XIV, 17, animamque no-
ſtram vnicice, vere ac efficaciter perficere, recreare et ſatiare poſ-
ſunt. Sunt panis diuinus, qui de caelo descendit, vitamque
dat mundo. Ipſe Iesuſ eſt iſte panis vitalis: qui ad eum venit
numquād eſuriet, et qui ipſi fidem habet, numquād ſitiet.
Ioh. VI, 33. 35. Aqua enim, quam Iesuſ dat, ſit in eo, qui eam
bebit, fons, ſecutricis ad vitam aeternam. Cap. IV, 14.

§. XXVI.

Christus itaque, Mediator noſter ſummus ac vnicus, Christus ſar-
omnis verae atque aeternae ſalutis origo eſt. Hanc enim ob- lutis noſtræ
cauſam vni genitus Dei filius, Patri ὁμοέος, filius hominis fa- fons et ori-
flitus, humanam in diuinae ſuæ adiunxit naturæ hypostafin, go.
vt

vt vitam in eo habeamus sempiternam, omniaque bona diuina, quae saturitatem animae immortali praebent omnimodam. Merito ipsius efficitur, vt Pater excellenti praeditus clementia nos domus suae libertate inebriet nec non suarum flumine deliciarum perfundat. Non enim tantum adquisiuit nobis Servator noster vitam vitaeque cibum; sed etiam ipse offert, ac applicat nobis, immo donat ex euangelio per Spiritum sanctum, quae nobis promeruit bona ineffabilia. Omne nostrum meritum plane excluditur. Omnia Christo a Patre sunt data; nosque ex manu ipsius benignissima gratis per fidem accipimus, quae ad salutem nostram spectant perennem. Ioh. I, 16.

§. XXVII.

Obsignatio Christi quid? Vt autem haesitatio atque animi fluctuatio circa hanc Servatoris nostri promissionem cesset, nosque fiducia filiali εν πληροφοριᾳ πιστωσι eam adprehendere et in usum nostrum salutarem conuertere queamus, addit Iesus, animarum nostrarum Pastor et Panis dulcissimus, se a Patre obsignum esse. Venit ad nos, vt vitam et ζειστον habeamus. Ioh. X, 10. Misit filium suum unicum Deus in mundum, vt per eum viuamus. 1 Ioh. IV, 9. Christus ipse vita est. Ioh. XIV, 6. In eo vniuersa nostra reperitur. Ioh. I, 4. Ipsum penes est vitae fons. Ps. XXXVI, 10. In eum quisquis credit, numquam moriturus est. Ioh. XI, 26. Sed, vt Iesus, vita nostra, a nobis salutariter agnoscatur, vitaque ipsius desideretur, et ad nos perueniat, ideo a Patre obsignatus et criteriis certis palam notatus dicitur, quibus ab omnibus aliis distingui potest hominibus; vt, relictis omnibus rebus, ad eum solum vera accedamus fide, in eoque vniuersa salutem, vitam, vitaeque cibum et potum quaeramus et adipiscamur. *)

§. XXVIII.

*) Discrepant inter se interpres, quid per obsignationem hic intelligatur. Nonnulli τέτοιο ad cibum referunt. AMMONIUS putat, sicut pani sigillum imprimitur, vt adpareat, a quo sit factus: ita Christum vocari panem, obsignum a Deo, quia

§. XVIII.

Pertinet haec obsignatio ad Christi unctionem, seu collationem Spiritus sancti, qui non ad mensuram ipsi, quoad humana manam Obsignatio pertinet ad Christi unctionem.

quia panis caelestis, non ab hominibus, sed a Deo factus est. RUPERTVS hunc, ait, cibum significauit Deus, id est, a communibus distinxit cibis. Persicam Versionem eamdem sententiam commendare, eius translatio suadet, quae sic se habet: *Hunc fructum obsignauit Deus.* MALDONATVS huic constructioni quidem obiicit, τριτόν, cibum esse foeminimum, quum relatum τρίτον sit masculinum: sed NOVARINVS inane hoc esse putat; quia saepe in sacra scriptura, non solum hebraea, sed etiam greca mutatio sit generum. Eudem sensum VRSINVVS confirmat atque illustrat, dicens: *Forte alludit Dominus ad panes propositionis, quos aliquo symbolo impresso signatos fuisse, et si non memini, me legere, colligere tamen licet ex fine; qui fuit, ut numero duodecim totidem tribuum Israëlis essent ἀνέψυχοι coram Deo et memoriale.* ELSNERVS ex nota quadam MS. producit: *co forte hic alludi, quod, ubi olim δεῖπνον αὐτὸν συμβόλων parandum esset, ei sodalium, qui iubebatur coenam parare, annulus, aut etiam ali quando imago cerae impressa, arrhae loco dari soleret: ut proinde Christus hoc loco proficeretur, se a patre constitutum esse ad suppeditandum ecclesiae salutarem cibum, aut autoritatem significari Christo a Patre datum.* HEINSIO σφραγίδεων videtur esse, quod ab Hellenistis σφραγίδεων dicitur, per quod Hebrei summum amorem exprimere solent, quale filium pater prosequitur. LAMPIVS phrasin de obsignatione personarum usurpat, et eam potissimum ad seruos alludere existimat, quibus nota quedam, seu character certus dominorum imprimebatur, ex quo poterat conspiciri, cuius essent, et quo mediante tales personae dignoscabantur, atque aliquando inuiolabiles reddebantur. Addit vero, hanc allusionem ad plenam emblematis huius vim minime sufficere. COCCEII, D'OUTREINIVS, et HASAEVS statuunt, Christum, quem se dixerit obsignatum, respexisse ad locum Zach. III, 9: vbi de Meslia cum allusione ad lapidem fundationis dicitur: *Nam, ecce, ille lepit, quem posui coram Iesua: super lapide uno sunt septem*

manam eius naturam, concessus est. Ioh. III, 34. Quemadmodum enim Spiritus sanctus oleum laetitiae est, quo Deus filium inunxit: Pl. XLV, 8: ita et sigillum vocatur, quo Deus eum notavit. Et quoniam caput est ecclesiae, ideoque et membra ipsius in corpore mystico propter eum ob-signata nominantur; vt et ad participationem vocationis eius admittuntur. *)

§. XXIX.

rem oculi. Ecce me caelantem caelaturam eius. Conf. FRIDERICI ADOLPHI LAMPE *Commentarius Analytico-Exegeticus Euangeli secundum Iohannem Tom. II. p. 193. seqq.* CHRYSOSTOMVS τὸ ἐσφραγίζειν vel respici putat ad litteras, legato a Principe dari solitas, et sigillo eius munitas, quibus fides ipsi concilietur; atque adeo patrem hic reprobantari, tanquam eum, qui filio suo, concessa miraculorum edendorum facultate, plenissimam apud homines fidem fecerit. Vel τὸ ἐσφράγιστε idem esse censet, quod ἀπέδειξε, hoc est, demonstrauit, manifestum fecit testimonio suo. Conf. SVICERI *Thesaurum Ecclesiasticum Tom. II. p. 1197.* Alii τὸ ἐσφράγιστε interpretantur sequenti modo: Sigillum et imaginem suam Deus Pater Filio suo impressit, adeo, vt, qui Christum videret, etiam patrem vidisset, vt dicitur Ioh. XIV, 9: quippe, qui sit εἰς ἡμᾶς τὸ Θεός τὸ αὐτός Col. I, 15. Vid. IOANNIS CHRISTOPHORI WOLFFII *Curas Philologicas et Criticas Tom. I. p. 851.*

- *) Non male Patres quidam, testante LAMPIO in *Commentario suo ad hunc locum*, ob-signare per vngere interpretati sunt. CYRILLVS: τὸ ἐσφραγίζειν, τὸ κεκριθεὶς θεῖκῶς τέθεις, κατασφραγίζεται γάρ ὁ χριόμενος. Signari pro vngi diuinitus posuit, signatur enim, qui vngitur. AMMONIVS: ἐσφράγιστεν. τὸ αὐτὸν ἐχριστεν, οὐ ἐβεβαιωτεν, ἢ τοι ἀναντιθέσθως ἐξενάλυψεν ὁ πατήρ τον οὐδὲ διὰ τῆς ιδίας πατητικός ἐμπαγμένον γάρ ἐστιν οὐδείς, κατ' ὄφραγμά της τὸ πατέρος εἶσιας, ὁράμενος ὀπαρειλλάκτως, οὐδὲ ὁ πατήρ. Signavit idem est, quod vnxit, vel irrefragabili suo testimonio Pater filium manifestauit. Filius enim est effigies, atque signaculum substantiae patris, omnis, vt Pater, expers mutationis.

§. XXIX.

Deus filium ab aeterno ad munus subeundum mediato-
rium praedestinavit: quare delectum suum, quem Spiritu suo ob-signatio
donavit, Pater eum adpellat; Ies. XLII, 1; et Petrus I ep. I, 20 Quomodo
praecognitum eum ante orbem conditum dicit. Praecogni-
tum, electum et praedestinatum ante iacta mundi fundamenta
Filium Pater in veteri testamento promisit, et certis, claris, at-
que indubitatis notis, quae fallere nequeunt, eum insigniuit; ut
venturus in mundum ab omnibus, qui in caecitate et ignoran-
tia sua morose et pertinaciter perstitere nolebant, ut Messias, ge-
neris humani Redemptor, agnosciri, et ab omnibus aliis homini-
bus rite distingui posset. Quae autem de Messia Pater gnori-
mata posuit in vaticiniis per prophetas; ea cuncta in Iesu
Nazaraeo omni ex parte inuenta sunt ac deprehensa; ita ut,
quum in hunc mundum venerit, pro eo, qui erat, a matre sua,
eiusque marito, Iosepho, a Zacharia, eiusque vxore, Elisabeta,
a pastoribus ouium, a magis ab oriente Hierosolymam profi-
ciscientibus, a Simeone, ab Anna, vate, et ab omnibus, qui li-
berationem exspectabant, habitus sit ac iudicatus. Praecipue
notatu digna sunt, quae Lucas cap. II. euangelii sui de Simeone
refert. Huic fuerat sancti Spiritus oraculo dictum, non prius
esse mortem sensurum, quam Domini Christum vidisset.
Quumque is postea Spiritus impulsu in templum veniret, pa-
rentesque Iesum in illud inferrent, statim Messiam eum agno-
uit, suis vlnis exceptit, salutem Dei eum praedicauit, omnibus
populis paratam, denique lumen gentibus patefaciendum, nec
non Israelitarum gloriam eum celebrauit. Signatus itaque
erat Iesus, filius hominis, ac delineatus per Spiritum sanctum,
ut cognitum eum talem habuerint prisci fideles, qualis re ipsa
fuit.

§. XXX.

Plenitudinem Spiritus, qua humana Christi natura ab ipsis Criteria
incunabulis, immo in vtero matris impedita est, multis modis, Christi ob-
signati.

quam diu in hoc mundo viisibiliter permanxit, et ipse Seruator noster declarauit, et Pater manifestauit; quo ex criteriis luctulentissimis, tanquam sigillo, Iesu quasi impresso, omnes perspicere possent, eum verissimum atque vnicum salutis nostrae restauratorem, fontem atque originem esse. Stupenda quedam indicia in eo pueru duodecenni enicuere. Stupuerunt enim omnes, eum audientes, eius acumen et responsiones; quum in templo inter magistros federet, eos audiens ac interrogans. Luc. II, 47. 48. Quum munus docendi publicum inchoaret, et a Iohanne baptizaretur, non solum caeli sunt aperti, et Iohannes vidit Dei Spiritum descendenter, quasi columbam, et in Iesum venientem; sed etiam vox Patris e caelo audit a est, dicens: Hic est meus carissimus filius, qui mihi acceptus est. Matth. III, 16. 17. Quemadmodum vero Spiritus descendens et manens super Iesu a Patre in signum Iohanni datus erat, ut et visione corporali eum agnosceret, quem visione mentali iam dudum intuitus erat: Ioh. I, 32. 33: ita Patris e caelo vox Iesum Messiam, atque vnicum designauit hominem, quum propter alias cauñas grauiissimas, tum etiam propter sanctitatem et obedientiam suam perfectissimam Deo, iudici iustissimo, gratum acceptumque; ob quem Deus benevolentiam, fauorem ac gratiam suam admirabilem generi humano, praecipue vero credentibus in filium sibi carissimum, declarat ac largitur. Iehoua, de caelo despiciens hominum genus, antequam Mediator noster natus erat homo, ut videret, num quis ita saperet, ut Deum curaret; vniuersos (proh scelus) deflexos deprehendit, ut non fuerit, qui recte fecerit, ne vnuis quidem. Pf. XIV, 2. 3. Quum vero Christus in carne manifestatus esset, ille vnicus homo fuit, ab omni impuritate remotissimus, innocentissimus ac purissimus, ideoque solus Deo acceptissimus, ob quem, ut Mediatorem nostrum consummatissimum, benevolentiam suam diuinam erga homines Pater caelestis exserere constituit, Luc. II, 14, et per quem credentibus in eum gratiam et pacem tribuit,

eos-

eosque sibi acceptos reddit. Eph. I, 1. 6. Vtque et nos de hac sua voluntate gratiosissima certi fieremus; ideo ter Matth. III, 17. Cap. XVII, 5. Ioh. XII, 28, ¹ voce clara ac plane extraordinaria filium suum, tamquam vnicum nostrum Mediatorem, notauit, atque in Christo vnicum monstrauit medium, quo ad communionem cum ipso salutarem peruenire nobis licet.

§. XXXI.

Sigilla deinde multo plura Filio suo Deus Pater addidit; quum in munere publico constitutus esset. Omnia ea nunc referre et de iis copiosius exponere instituti nostri ratio iam non permittit. Breuitatis studiosi, nonnulla tantummodo paucis attingere, apud nos constituimus. Locutus est ad auditores suos celeberrimus Doctor, ex sinu Patris ad nos veniens, *ως ἔχοντες ἐχαντεὶς πνεύμονας καὶ δυνάμεως*, ita, vt de eo ex interna conuictione testati sint homines ipsi inimici, ad captiuum eum adducendum a phariseis missi, nullum vnuquam hominem sic locutum esse, vt Iesus Nazaraeus loquatur. Ioh. VII, 46. Patravit Iesus, Mariae Filius, per Spiritum sanctum miracula stupenda atque excellentia, ita vt omnium animis admirationem iniecerit insignem, qua permoti eum Messiam a Deo promissum publice confessi sunt. Ioh. VI, 14. Vitam degit sanctissimam legique diuinae penitus conformem, vt et nemo ex hostium turba peccati ~~eum~~ coarguere valeret. Ioh. VIII, 46. Discipuli eius repetitis vicibus, ex signis et sigillis, quae euidentissima in eo confixerunt, de ipso testimonium dederunt, quod habeat aeternae vitae verba, quodque crediderint et nouerint, eum esse Christum, viuentis Dei filium. Ioh. VI, 68. 69. Matth. XVI, 16. In ipso mortis articulo tanta de Filio suo, generis humani Redemptore, Deus edidit specimina, vt et centurio, qui militibus, ad custodiā missis, praererat, Deo non solum ex intimo cordis affectu gloriam tribuerit, sed etiam palam dixerit, profecto hic homo crucifixus iustus erat. *Quin omnis hominum multi-*

tudo, qui ad hoc Iesu ad mortem crucis damnati spectaculum venerant, videns, quae prodigia facta essent, pulsans pectora in urbem Hierosolymam reuerſa legitur, conuicta de innocentia et maiestate summa Christi in cruce contumelioſe pendentis. *Luc. XXIII, 47. 48.* Signauit denique Deus Redemptorem nostrum, quum extulerit eum ad summum illud gloriae ac laetitiae fastigium, ad quod, ut mediator noster, laboribus exaltatis euectus est, post resurrectionem e mortuis et adſcenſionem in caelos. *Ief. LIII, 8. 10. 11.* Potestate in etenim ipſi dedit omnium mortalium, ut, quoscunque ipſe dederit ei, iis vitam det aeternam. *Ioh. XVII, 2.* Sacerdotium nunc habet numquam transiſtūrū: et idcirco plane feruare potest eos, qui per ipsum Deum adeunt. Namque durat hic in ſempiternū, ſemperque viuit ad ſupplicandum pro nobis. *Hebr. VII, 24. 25.* Extra Christum in nullo alio ſalutis reperitur hominum, nec ullum aliud nomen eſt ſub caelo apud homines datum, per quod ſaluandi ſimus. *Act. IV, 12.* Ipsi ſoli vates omnes dant testimonium, eumque unicum ex inspiratione ac reuelatione diuina ſignant, per cuius nomen peccatorum veniam conſequantur, quicunque in eum credant. *Act. X, 43.*

§. XXXII.

*Christus
Propheta ob-
ſignatus.*

Venit itaque promiſſus Seruator ad nos, atque in mundo incarnatus vixit et ambulauit, characteribus ac rotis certis inſignitus, quibus mediantibus rite dignosci et pro legato Dei ſummo haberri ac diiudicari poterat. Quem Deus pollicitus eſt vatem, quum per Moſen filiis Israelis dixerit: vatem ſuſcita-bo eis de media eorum conſanguinitate, tui ſimilem, cuius ori verba mea ſuggeram, itaque eis eloquetur, quaecumque ei praecepero; *Deutr. XVIII, 18;* illum publice notauit ac commendauit, quum in mundo viſibili modo praefens eſſet. Ex nube enim lucida, Iesum glorificatum et discipulos eius

ei⁹ obumbrante, vox audita est distincta ac perspicua: Filium meum carissimum mihi⁹ acceptum audite. Matth. XVII, 5. Qui Ies. L, 4 de semet ipse vaticinatus est: Iehoua mihi lingua⁹ dedit eruditam, vt sciam tempestue fessos adloqui; is in munere suo prophetic⁹, quo publice functus, ad quodque solemniter a Patre suo introductus est, talem se gesit, qualem prisci veteris testamenti ex vaticinio ab ipso dato praecognitum habuerunt. Vocauit enim omnes laborantes et onustos ad semetipsum et pollicitus ipsis est recreationem ac requiem dulcissimam. Matth. XI, 28. 30. Qui se praedixit Spiritu Domini praeditum, atque vinctum a Iehoua, nec non ad laeta inopibus nuntianda missum; Ies. LI, 1; illum contemplati sunt homines et loquentem audiuerunt, orationisque gratiam, quae ex eius ore manabat, mirati sunt, nec non ex criteriis insignibus cum animorum conuictione de eo testati sunt, magnum illum esse prophetam, qui a Deo promissus et in orbem venturus esset. Luc. IV, 17. seqq. Ioh. VI, 14.

§. XXXIII.

Si omnia accuratius perpendamus, quae a Christo in prophetic⁹ munere sunt praeflita; inueniemus, illum non solum officii sibi demandati partes accuratissime exp̄luisse, et arcanum Dei de salute nostra consilium luculentissime edifferendo, et ecclesiae fata prophetiis suis delineando, et ministerium suum, partim perfectissimae sanctimoniae exemplo, partim miraculis stupendis, partim mortis uae martyrio, confirmingo: sed etiam eminentiam ipsi singularem praे ceteris conuenire prophetis, qua, tamquam nota characteristica, omnes longissime antecelat. Praedicauit, quum munus docendi nondum subiisset, immo homo nondum natus esset. Ies. XLVIII, 16. 1 Pet. III, 19. Reuelauit mysteria, quae a temporibus secularibus tacita fuerunt, quaeque ipse non aliunde didicerat, sed in finu patris viderat, et audiuerat. Ioh. I, 18. Ioh. III, 32. Ioh. VIII, 38. 40.

Pro-

Protulit doctrinas caelestes, non ex alieno instinctu, sed ex Deitatis σωματικῶς in ipso habitantis plenitudine. Col. II, 9. Spiritu eius vates praediti fuerunt, qui ipsis indicauit et praesignificauit et Christi supplicia et deinde secuturam gloriam. 1 Petr. I, 11. Miracula patrauit sua ipsius virtute, et eius nomine ac potentia alii ea fecerunt. Act. III, 6. Nulla vñquam labē sanctimonia eius contaminata fuit: non solum verbis sed et vita ipsa purissima docuit; seque sua innocentia perfectissima atque absolutissima Messiam, Filium Dei et mundi sospitorem, coram omnium oculis manifestauit et publice confessus est. Ioh. VIII, 28. 29. 46.

§. XXXIV.

Christus Sacerdos ob-signatus.

Qui inter Christum, *Pontificem summum*, et veteris testamenti sacerdotes, et praecipue maximum foederis prisci pontificem conuenientiam, vt inter typum et antitypum, ostendunt, ii circumstantiam quamdam, ad phrasin de Christo obsignato illustrandam, in lamina aurea pontificis maximi, quam in fronte gerebat, et cui inscriptum erat sculpturis sigilli nomen sanctitatis Ichouae, se inuenisse putant. Exod. XXIII, 36. *) Sed huic allusioni non immorans, illud pro certissimo adfirmo, quod firmis nititur fundamentis, sacerdotium Christi quovis Aarono longe praestantius fuisse. Hoc etenim a Paulo solidissimis demonstratur argumentis. Sacerdotes enim ad Aarons morem sine iureiurando in officio sibi demandato constituti sunt; Christus vero cum iureiurando, per eum, qui de eo sic dicit: iurat Dominus non mutaturus sententiam; tu sacerdos es in aeternum. Hebr. VII, 20. 21. Praefrantioris Iesus fuit testamenti sponsor. v. 22. Illorum plures fuere sacerdotes, quod morte prohibebantur permanere: at hic, quia durat in aeternum, numquam transiturum habet sacerdotium. v. 23. 24. Illi prius pro suis peccatis victimas libare, deinde pro populi peccatis,

*) Conf. celeberrimus LAMPIVS ad h. l.

catis, necesse habuerunt: hic vero sanctus, vitii expers, interemeratus, a fontibus alienus, caelisque sublimior factus, non quotidie, nec pro suis peccatis, nam nulla ipse habebat; sed semel pro nostris semetipsum libauit peccatis. v. 26. 27. 28. Conf. Cap. VIII, 6. Competit itaque sospitatori nostro summa prae aliis sacerdotibus praerogativa. Signatus, immo figillo eminentiae a Patre notatus ac designatus est, ut indicetur, eum omnibus ipso obedientibus salutis aeternae veram atque unicam caussam esse. Hebr. V, 9.

§. XXXV.

Specialiora munera Christi sacerdotalis si attingere placet, sigillorum Mediatori nostro a Deo impressorum, ad ipsum salutariter cognoscendum, vestigia deprehendimus sat luculenta. Siquidem per Spiritum aeternum se ipsum obtulit inculpatum Deo, ut sanguine suo emundaret conscientiam a mortuis operibus: Hebr. IX, 14: unicunque oblatione consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Cap. X, 14. In regno gratiae fide eum agnoscimus ut agnum Dei, mundi peccatum tollentem. Ioh. I, 29. In regno gloriae itidem adoratur ut agnus mactatus: Apoc. V, 6: quia per suum sanguinem semel ingressus est in sanctuarium, sine manibus factum, id est, in caelum ipsum, ut nunc coram Deo adpareat pro nobis. Hebr. IX, 12. 24. Proponitur itaque ac commendatur nobis Redemptor noster in caelestia adyta ingressus; quod non solum sanguinem ibi suum in signum plenariae ab ipso satisfactionis praestitae coram Dei throno sistat; sed etiam ad dexteram Dei sedeat et pro nobis oret, Rom. VIII, 33; immo fons sit uberrimae benedictionis, qua Deus nobis benedit in bonis caelestibus. Ephes. I, 3.

§. XXXVI.

Signavit denique Pater Filium suum ut Regem nostrum. Christus
Nam omnis ipsi data est potestas in caelo et in terra. Matth. XXVIII, 18. Designatus est ut Rex in veteri testamento. Zach. IX, 9. Agnitus est idem ut Rex in novo foedere. Rex obsignatus.

G

Matth.

Matth. II, 2. cap. XXI, 5. Ioh. VI, 15. Luc. XXIII, 3. Et quum iam sedeat ad dexteram Dei, secundum humanam suam naturam electus est supra omnem principatum, et potestatem, et potentiam, et dominatum, supraque omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro. Deus nunc eius pedibus omnia subiecit, eumque praecipue dedit caput ecclesiae supra omnia. Ephes. I, 21. 22. Regi nostro clementissimo, potentissimoque omnia debemus, quae ad veram nostram spectant salutem. Praecepta dat salutifera. Vocem eius audientibus vitam dat aeternam. Ioh. X, 27. Potenter suos tuerit: non possunt unquam perire, nec quisquam ipsi eos eripiet. v. 28. Siquidem diuina eius potentia per fidem custodiuntur ad salutem. I Petr. I, 5. Bona distribuit ipsi subiectis excellentissima. Quin ipse Rex est summum bonum suorum, cuius vero compotes sunt omnes, fide non fucata eum recipientes.

§. XXXVII.

*Salutis nostra
in Christo
obsignata.* Huncque primarium scopum in dicto Iohanneo, supra ex cap. VI, 27 citato, Iesus obsignationis sua indicat. *) Meruit nobis omnia salutaria, ut sacerdos. Viam ad salutis participationem, ut propheta, ostendit. Ut vero ad ipsam bonorum caelestium possessionem dulcissimumque eorum perueniamus gustum; in eo se, ut regem nostrum benignissimum, exserit. De semet ipse loquitur, quando dicit: Hic est panis, qui de caelo descendit, quo qui vescatur, non sit moriturus. v. 50. Addit enim v. 21: Ego sum panis virtus, qui de caelo descendit, quo pane qui vescetur, viuet in perpetuum. Explicat denique versibus sequentibus, quid per panem suum intelligat; quando in oratione sua humanissima suauissimaque ita pergit: Panis, quem

*) CHRYSTOSTOMVS Hom. XLIV in Ioh. p. 738. Τέτον γάρ ὁ πατήρ ἐσφράγισεν ὁ Θεός, τὴν ἑστ., ἐπὶ τέτῳ ἐπεμψε ταύτην ὑπὸ κορίζοντα τὴν τροφήν. Hunc enim pater obsignavit Deus, hoc est, propterea misit, qui hunc vobis cibum afferret.

quem ego dabo, caro mea est, quam ego pro mundi vita dabo. Quumque Iudaei sic inter se decertarent; quomodo potest hic nobis carnem suam dare comedendam? Iesu repetit pristinum sermonem et respondit: Hoc certo certoque scitote; nisi filii hominis carnem comederitis, et sanguinem biberitis, non esse vos vita praeditos. seqq. Hic est finis saluberrimus, ob quem Christus a Patre suo obſignatus est. Vitam nostram haec obſignatio intendit ſempiternam. Cibum nobis dat non perituum, ſed in omnem aeternitatem permanſurum. Quemadmodum viuit Pater, qui Filium misit, ita et Redemptor noster per Patrem viuit: et qui ipſo, pane viuo, carne ipſius, ut vero cibo, vescitur, et ſanguinem ipſius, ut veram bibit potionem, is quoque per Christum viuet in perpetuum. v. 57. O beatos! et iterum iterumque beatos! qui ad Christum vera fide veniunt, qui a Patre ad Filium trahuntur, qui Filium vident, et in eum credunt: ii habent vitam aeternam, et cum discipulis Iesu ex intima animorum conuictione conſitentur: Domine, tu aeternae vitae verba habes; et nos credimus et nouimus, te esse Christum, viuentis Dei filium, et promiſſum, et miſſum, et a Patre obſignatum. v. 68. 69. *) Non enim modo vident et

G 2

cognoscere

*) Pertinent huc verba **LUTHERI** in comment. in ep. ad Galat. cap. IV, quae ſic ſe habent: *Evangeliū iubet intueri nos, non bene bene facta et perfectionem nostram, ſed ipſum Deum promittentem, ipſum Christum mediatorē.* E contra papa iubet respicere, non Deum promittentem, nec Christum pontificem, ſed nostra opera aut merita. Ibi neceſſario ſequitur dubitatio ac desperatio, illuc vero certitudo et gaudium ſpiritus, quia in Deo haereto, qui mentiri non potest; dicit enim ecce trado filium meum in mortem, ut te ſanguine ſuo redimat a peccatis et morte, ibi non poſsum dubitare, niſi prorsus velim Deum negare. Atque haec eſt ratio, cur nostra theologia certa ſit, quia rapit nos e conſpectu noſtro, et ponit nos extra nos, ut non nitamus viribus, conſcientia, ſenſu, perſona, operibus noſtris, ſed co nitamus, quod extra nos eſt, hoc eſt, promiſſione et veritate Dei, quae fallere non potest.

cognoscunt; sed et gustant et experiuntur dulcedinem et efficiaciam veritatum caelestium. Ex Deo nati mentem Christi habent, et vere sentiunt, quid sit remissio peccatorum, praerogativa et priuilegium adoptionis, familiare Dei commercium, manna absconditum, pax spiritualis, gaudium in Spiritu sancto, osculum Sponsi suauissimum, amor Dei in corde eorum effusus. Comedunt, ut amici, bibunt et inebriantur, ut dilecti. Cant. V, 1. Nulla in ipsis condemnatio remanet, quia sunt in Iesu Christo, Rom. VIII, 1, qui vnica oblatione in perpetuum eos, qui sanctificantur, consuminavit. Hebr. X, 14. Libertatem habent ingrediendi in sacrarium per sanguinem Iesu, v. 19, qui continuo ad dexteram Dei pro ipsis intercedit, et numquam non a Patre exauditur. Amplissimis quoque suauissimisque hilarantur et locupletantur benedictionibus: Eph. I, 3: nam laeti ex fontibus salutis aquam hauriunt, et ipse Iehoua ipsis est salutis. Esa. LII, 2. 3. Nihil ipsis deest, quia Iehoua ipsorum est pastor. Animi eorum Christo duce recreantur. Ipsi in omnibus viis Iesu benigne adest: quapropter bonitas et benignitas ipsos, quam diu viuunt, sequitur, et Iehouae domum incolunt in semipaterno. Ps. XXIII, 1. 6.

§. XXXVIII.

Nunc demum addenda essent, quae de obsignatione credentium et passiva et activa adhuc restant. Sed ne disputatio-
nis limites transcendere videar; hic pedem figo: et, si Deus
vitam viresque ex gratia sua concesserit, post breve temporis
spatium prolixius exponam, quae ad credentium per-
tinent obsignationem.



RESPON-

DE
OBSIGNATIONE CREDENTIVM
PASSIVA ET ACTIVA.

Enucleatis hucusque notionibus sigillorum biblicis, expo- Dicendorum
sitaque Christi, Seruatoris nostri, obsignatione; nunc ordo.
tandem reliqua duo momenta, iusto, ut decet, pertractabili-
mus ordine, de *obsignatione credentium et passiva et activa lo-*
caturi.

§. XXXIX.

*Passiuam credentium obsignationem in sequentibus potissi- Obsignatio
mum sacri codicis fundatam ac stabilitam deprehendimus effa- passiva.
tis. A Paulo 2 Cor. I, 22 Deus vocatur, ὁ σφραγισμένος ἡμᾶς,
et ab eodem Ephes. I, 13 Christo vere vnitи dicuntur ἐν Χριστῷ
πιστεύσατε ἐσφραγισθήτε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ αὐγῷ,
nec non c. IV, 30, ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἀγώ τῇ Θεῷ ἐσφραγισθήτε
ἐις ἡμέαν ἀπολυτρώσεως. Adpellantur denique homines Apocal.
IX, 4, οἵτις ἐκέχεστι τὴν σφραγίδα τῇ Θεῷ ἐπὶ τῶν μετάποντων ἀντῶν. *)*

§. XLI.

*) Celeberrimi Theologi de obsignatione credentium vel fusis vel
parcius exposuere. Inter quos praeceps numerandi sunt D. IO.
CONR. DANNHAVERVS, in *Disputat. Theolog.* quae opera et
studio M. CHRISTIANI MISLERI in lucem publicam Lipsiae
MDCCVII emissae sunt; et quidem *Disp. XVI de signaculo Elec-*
torum, in locum 2 Tim. II, 5: pag. 409. Venerabilis Ordinis
Theologici Hallensis Senior, D. GOTTHILF AVGUST FRAN-
CKE in oratione Sacra Dom. II Aduentus Christi MDCCXXXVII
habita, cui inscriptio von der Versteilung der Gläubigen mit dem
heiligen Geist auf den Tag ihrer Erlösung. IOAN. PORSTIVS in
Theologia Viatorum Practica, lib. III. Sect. XL. p. m. 560. IOA-
CHIMVS LÜTREMANN in Vorschmack göttlicher Güte P. II, C.

§. XL.

Obſignati
quinam?

Ad Subiectum obſignationis rite constituendum, Paulus ipſe viam nobis monstrat tutissimam, obſignationem fidei effectum pronuncians. Eph. I, 13. Mortuus ergo delictis et peccatis hac priuatus est praerogativa, Spiritui nempe sancto resistens et in carnis suae ambulans cupiditatibus; ideoque sine Christo et extra Dei communionem viuens. Ioa. XIV, 17. Ephes. II, 12. Hypocrita quidem, fallarii instar, figilla ac litteras gerentis fictas, magnam viri boni speciem praeſe fert externam: sed, interius a Spiritu sancto nec edoctus nec emendatus, figillo vere diuino penitus caret. Fide tantum in Christum praediti, totoque ei animo addicti, Spiritu signati Numinis summi adpellari merentur. Hi etenim liberationem habentes a peccati culpa, ac poena, nec non eius dominio, per Christi sanguinem, a Patre indulgentissimo ac benignissimo omni vertate diuina in rebus Christi caelestibus sunt fortunati. Manifestauit ipsis Deus altissimus pro diuite sua beneficentia voluntatis suae arcanum, donauitque eos sapientiae et patefactionis Spiritu; quo cum cognoscant, atque illustratis suae mentis oculis sciant, quid ipsis, vocatis ab eo, sperandum sit; et quam locuples glorioſaque fit haereditas, sanctis clementissime destinata. Ephes. I, 3. 7. 17. 18. Per Christum a deo rebus omnibus ditati sunt, confirmato in ipsis de Christo testimonio, ut nulla careant dote; patefactionem exspectantes Domini sui Iesu Christi, qui eos firmos reddit inculpatosque ad diem suum extremum. 1 Cor. I, 5. 6. 7. Reuocauit eos, delictis antea mortuos, Deus, misericordia diues, in vitam vna cum Christo simulque fuscitauit, et in Christo Iesu in caelestibus collocauit, excellentem in eos demonſtrans

XX. FRID. ADOLPH. LAMPE in *Geheimniß des Gnadenbundes*,
I. XII. p. 578. DANIEL WYTTEBACHIVS in *Tentam. Theol.*
Dogm. Tom. II. Loc. IX. §. 1202. HERMANNVS WITSIVS in Oecon.
Foed. Dei cum Hominib. Lib. III. c. XIII. §. XXXIV p. m. 517, 518.

trans potentiae magnitudinem, quam pro sui egregii roboris virtute exseruit in Christo, eum ex mortuis suscitando. Eph. II, 4. 5. I, 18. 19. Quemadmodum itaque credentes epistola Christi adpellantur 2 Cor. III, 3, ἐγγεγραμμένη ἐ μέλαινι, ἀλλὰ πνεύματι Θεος γάντος, εἰς ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλ' ἐν πλαξὶ ναρδίναις σαρκίναις, quia promissiones diuinæ vera fide accipientes, praeceptaque diuina animis suis a Spiritu sancto inscribi sinentes, totam vitam ad legis normam instituunt, seque et interne et externe voluntati Domini sui obedientes praebent; ut legi et perspicere possint ab omnibus, tamquam serui, Christo toto subiecti pectori: ita et sigillum Dei ipsis est impressum, ut et ipsi in veritatibus agnitis stabiliantur confirmanturque, atque aliis ut diuinum mancipium magis innotescant, ductum sancti Spiritus vnicæ sequentes. Imperatores mandata sua hisce duabus litteris M. D. i. e. manu diuina, olim subscripsisse dicuntur*), quo maior in iis appareret auctoritas, majorique ea obseruarentur follertia: multo magis de creditibus in Christum vere adfirmari potest, quod manu diuina et scripti et obsignati sint; quoniam opus sunt Dei, et creati ac conditi in Christo Iesu ad recta facta, quae præparauit Deus, ut in iis versarentur. Eph. II, 10. Acceptos quoque eos sibi reddidit pater caelestis, per suum carissimum, ad laudem gloriosæ suæ beneficentiae, c. I, 6, nec non ipse magno eos habet in pretio, vultque, ut intacti ab hostibus ac securi permaneant omnibus vitae diebus.

§. XLII.

Debent itaque fideles Spiritum obsignantem *Deo, lumen patris*, a quo omne bonum donum, omneque perfectum munus in nos descendit. Iac. I, 17. Ipse est, qui nos confirmat in Christum, nosque vngit signatque, et Spiritus arrhabonem nostris dat animis. 2 Cor. I, 21. 22. Non solum suos elegit Deus ante orbem conditum, ut essent in conspectu

Cui debeat
obsignatio?

H 2

suo

* Conf. BOTTAZZI *Moralia Gedanensis* p. 724.

suo sancti et inculpati, caritateque praediti; non tantum eos adoptioni per Iesum Christum destinauit, pro suae voluntatis arbitrio: sed eos etiam obsignauit sancto Spiritu promissionis, qui pignus est haereditatis nostraræ. Eph. I, 4. 5. 13. 14. Dominum hocce diuinum aestimandum merito præstantissimum: nosque eo maxime quidem inopes indigentesque sumus reputandi; sed tantum beneficium nequaquam merentes. Gratus eo Deus nos donat, misericordia erga nos miseris permotus singulari, ob Sponsorem nostrum, Iesum Christum, fide adprehensum. Fauori ergo paterno Dei, per Mediatorem summum nobis conciliati, missio Spiritus sancti in animos nostros vincere est tribuenda. Luc. XI, 13. Beneficii huius maximi ut firmo nitamur fundamento, Christus non solum semetipsum donum Dei adpellat: Ioh. IV, 10. c. III, 16. coll. Ies. IX, 6. Rom. VIII, 32: sed et ante abitum suum cruentissimum ex hoc mundo discipulis suis omnibusque ipsi vera adhaerentibus fide promittit, se Patrem suum exoraturum, ut alium ipsis det παρακλητον, cum ipsis perpetuo manentem; additque, Patrem Spiritum sanctum suo nomine absque omni dubio missurum esse, immo seipsum a Patre Spiritum pollicetur daturum, ad patrem quum abiisset, opusque redencionis nostraræ absoluisset. Ioh. XIV, 16. 26. c. XV, 26. c. XVI, 7. Patris Filiique actus per dationem et missionem exprimuntur*).

* Nuncii siue Angeli nomine Spiritum sanctum in sacro codice occurrere, viri doctissimi iam dudum animaduertere. Per Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem sigillum Dei viui, cumdem intelligendum esse, VITRINGA demonstrat in *Apocalypsiōe Ioannis Apostoli ad cap. VII. 2.* Angelum, quocum Zacharias locutus est c. I, 12-14. Spiritum sanctum denotare, indicarunt COCEIVS aliisque. De Gabriele idem adstruere allaboravit LAMPVS ad Ps. XLV. Exerc. III. §. 12. Iudei per Angelum, quem Deus misit ad liberandum Israelem ex Aegypto, passim intelligunt: sed veteres sub eius nomine non solum

tio seu donatio de Spiritu sancto aliis etiam in locis scripturae sacrae adhibetur, vti videri potest Ies. XLII, 1. Ezech. XXXVI, 27. XXXVII, 14. Act. V, 32. Rom. V, 5. I Ioa. III, 24. Et quemadmodum summam ea Deitatis manifestat opulentiam, tantum impertientis bonum: ita voluntatem Dei erga nos significat ac prodit beneficissimam, miseros nos peccatores, cuncta destitutos salute vera, diuities reddendi omni ex parte. Quapropter credentium animi Dei amore perfusi dicuntur, per Spiritum sanctum, ipsis datum. Rom. V, 5. *Mittitur Spiritus sanctus non solum a Patre; sed etiam a Filio: quia est Spiritus Christi, Rom. VIII, 9. Gal. IV, 6, labiorumque eius, Ies. XI, 4, nec non sceptrum roboris eius. Ps. CX, 1. Merito suo ius eum mittendi, tamquam Mediator, adquisiuit, et post consummatam suam obedientiam in iustificatione sua hanc potestatem accepit; Act. II, 33; qua, ad dextram Dei sedens, ipso actu vtitur, Spiritum in animos, ipsis consecratos, effundendo, perque eum nomen suum manifestando, nec non in electis regnando, ipsis de gratia sua fraterna certiores reddendo, debitasque a populo suo laudes recipiendo.*

§. XLIII.

Obsignationem Spiritus sancti, cuius fideles redduntur participes, ad *gratiam eius referimus inhabitantem, ipsis qua sanctificantur, confirmantur, recreantur* *). Spiritus sanctus autem

Obsignatio
passua quid?

Fili, sed etiam Spiritus sancti in nube praesentiam designarunt, vti post alios notauit HASAEVS diff. de Spiritu sancto gloriam templi secundi aucturo §. 15. 16. Nonnulli quoque Angelum, qui Christo naseente et resurgentem apparuit, pro Spiritu sancto habent: immo non desuerunt, qui Spiritum sanctum Angelum esse, in quo nomen Iehouae est, Exod. XXIII, 21, protulere. Hae vero hypotheses difficultibus non carent. Conf. FRIDER.

ADOLPHI LAMPII Com. Euang. sec. Ioa. Tom. III. p. 179.

* Momenta obsignationis primaria HERMANNVS WITSIVS in *Oeconomia foederum Dei cum Hominibus Libr. III. c. XIII. §.*

autem considerari potest tum per se ut annulus signatorius, quem a Deo tamquam signum benevolentiae amori que erga nos amicissimi, atque a Christo, Sponso nostro benignissimo ac beneficentissimo, accipimus; tum secundum operationes, quas in credentibus suscipit. Res eodem redit. Priori modo donum est praestantissimum *); posteriori effectus huius doni

signi-

- XXXIV. p. m. 518,* sequenti modo exhibit: „Ob-signatio mystica per sigillum Spiritus consistit in communicatione efficacis diuinae illius lucis, puritatis, sanctitatis, iustitiae, bonitatis, beatitudinis et gaudii, quae in Spiritu sancto reperiuntur. Quarum rerum prima lineamenta ducuntur in regenerationis initio, et haec est conscriptio cordium per Spiritum. Sed postquam fides in Christum coepit esse efficax, ea omnia confirmantur, roborentur, augentur, penitus imprimuntur per Spiritum eundem. Atque in hac penitiori impressione consistit ob-signatio: per cuius contemplationem ad sensum fideles certi redundunt, se filios Dei esse. „*In exhortationibus sacris in Symb. Apost. Exercit. XXII. p. 390,* de eadem doctrina hisce vtitur verbis: „Ob-signatio quam sit similitudinis, quae in figillo est, expressio in re ob-signata, qua dignoscitur illius esse, cuius impressum signum gerit, vel qua instrumento alicui plena conciliatur fides; quid hic per ob-signationem intelligemus aliud, quam communicationem efficacem diuinae illius lucis, puritatis, sanctitatis, iustitiae, bonitatis, gaudii, quae in Spiritu sancto est: quibus euincitur, hos tales Dei esse peculum, quod sacram sibi et inuiolabile praefabit, quibusque certi redundunt de reliquis promissionibus diuinae tam gratiae quam gloriae.
- * Patres ecclesiae non solum Spiritum sanctum donum per emphasis nominauerunt, quia est plenitudo donorum Dei, et quia omnes utilitates, quae ex donorum Dei gratia suscipiuntur, ex isto fonte diminant; sed etiam hanc denominationem tamquam nomen personale et characteristicum ad ipsam essentiam eius reulerunt. Nihiis vero hac in re subtilitatibus vti sunt, velaque ultra, quam fas est, laxarunt, vti ex disputatione PETAVII in *Theol. Dogm. de Trin. Libr. VIII. c. 3, contra DANAEVUM intellegere*

significantur, ad nostram redundantes salutem et veram et aeternam. Quare dupli respectu credentes in Christum de Spiritu sancto ita satentur: *Accepimus, tamquam donum exoptatissimum, Spiritum ex Deo profectum.* Quid inde sequitur? Talis effectus, omni ex parte nobis salutaris, *ut sciamus, vereque intelligamus ex testimonio Spiritus sancti interno, quae nobis largitus est Deus.* 1 Cor. II, 12 *).

§. XLIV.

Pertinet haec obsignatio adunctionem credentium spiritualem **). Quemadmodum enim Christus secundum humanam suam

Pertinet ob-signatio ad unctionem.

Ligere possumus. AVGUSTINVS ipse nonnunquam admodum incaute hac de re mentem suam expresit, ita ut aliis non parum ansam ad deuias aberrandi dedisse videatur: verumtamen se ipsum saepius corredit, quodque ad rem pertinet, recte docuit lib. XV. de Trin. c. 19, hisce verbis: *In tantum Spiritus sanctus donum est, in quantum eis datur, quibus datur.* Apud se autem Deus est, et si nominis datur: quia Deus erat Patri et Fili coaeternus, antequam cuiquam daretur. Conf. FRIDERICI ADOLPHI LAMPII Comm. Analytico-Exeget. Euangelii secundum Ioannem. Tom. III. p. 146, 147.

*) Cum sigillum vel de signaculo, quo aliquid obsignatur, vel de expressa inde signatura dicatur; hic Spiritus sanctus seu signaculum, ab imagine, quam nobis imprimit, separari nequit, quia non dona eius solum, qualia sunt fides, certitudo gratiae, pax conscientiae et similia conferuntur; verum ipse etiam communicatur, gratiore nos obsignat, de gratia certos reddit; testimoniumque praebet Spiritui nostro, quod sumus filii Dei, Rom. VIII, 11, dum in cordibus nostris claimat, Abba Pater. Vid. SEP. SCHMIDII Diff. de obsignatione fidelium interna. Sect. II. §. 9.

**) Obsignatio in sacris litteris nota firmorem unctionis gradum, quo euangelica promissa sic corroborantur, ut Spiritus sanctus per ea testimonium suum instar sigilli in renatis exferat efficacissime. - - - Admiranda est gratia, secundum quam Spiritus sanctus fideles interno testimonio viro sustentat, expectantes adoptio-

ſuam naturam Spiritu sancto vnc̄tus, donorumque eius infinitoruim absque mensura potitus est: Ps. XLV, 8. Ies. XLII, 1. LXI, 1: ita et membra eius, cum ipso arctissimo unita nexu, vocationem ab eo, tamquam capite suo mystico, profectam, habent possidentque. 1. Ioa. II, 20. Ps. CXXXIII, 2. Ex quo etiam cognoscunt, se in Christo, Christumque in ipsis habitare, quod de Spiritu suo dedit ipsis. 1 Ioa. IV, 13. Nam qui Christi Spiritum non habet, is neque Christi est. Rom. VIII, 7. Haec potissimum ratio esse videtur, quare Paulus 2 Cor. I, 20. 21 Spiritum sanctum sub emblemate vnguenti, ſigilli atque arrhae proposuerit: quoniam operationes eius, per haec ſymbola indicatae, inter ſe inuicem optime cohaerent, nec diuelli poſſunt. Vnctio hac ratione ut genus offeruaretur: ad quam obſignatio et arrhae donatio ut species eſſent numerandae. Sicuti enim vocatione Spiritus sancti, olei laetitiae, aegri sanantur, vulnera, a peccatis nobis inflicta, curantur, nos robore accingimur diuino, animi nostri tristes exhilarantur, grati acceptique nos Deo reddimur, tamquam odor in Christo ſuavis, immo in altissimum hororis culmen euchimur, analogiam quamdam cum Christo, triplici munere ornato, habentes: ita obſignatione eiusdem in veritate diuina, vim ſuam in nobis efficaciter exferente, stabilimur, in via ſalutis confirmamur, ad imaginem diuinam restauramur, de promiſſionibus euangelicis, implendis in nobis, nulli dubitamus, cum parrhesia filiali Deum adoramus, testimonium internum de ſtatu gratiae noſtro in nobis fentimus, et ad officia, Deo noſtro rite praefenda, excitamur corroboramurque. Arrha vero Spiritus sanctus eam potissimum ob cauſam adpellatur, quia, ut donum maximi pretii, a Deo nobis ex ſola gratia confeſſum, propter Mediatorem noſtrum,

Iesum

adoptionem, liberationem corporis ſui, consummandam. D.
IOACH. IVST. BREITHAVPT in institut Theol. Tom. II. Loc.
III. Cap. III. §. 3. p. 206. 207.

Iesum Christum, nullum in nobis relinquit dubium de nostra haereditate gloriosissima atque utilissima, post obitum in futuro seculo certissime exspectanda. Qui enim Spiritum, bonum summum atque infinitum, nobis impertivit; is caelestia bona, per Christum adquisita, non denegabit.

§. XLV.

Spiritus obsignans, communem cum Patre et Filio essentiam, per spirationem aeternam et processionem infinitam, supernaturalem et ineffabilem habens, Ioan. IV, 24, et Sanctus appellatur, et ut πνεῦμα ἐπαγγελίας proponitur. Eph. I, 13. *Sanctitas* ipsi tribuitur, partim ut attributum diuinum, quod ipsi cum Patre et Filio commune et essentiale est, quodque illum ab omni imperfectione longissime separat, ac summam eius indicat excellentiam, qua non tantum reliquas res ad unum omnes superat, sed etiam bonum semper vult, eligit et peragit, malum contra semper auersatur; partim ut opus oeconomicum in regno Dei, quo nos homines perditos ac depravatos, peccati nempe sorde maculatos, reddit sanctos, imaginemque diuinam in nobis instaurat. Quae ultima ratio praecepit hoc loco in censum venit. Adparet enim tum ex sacra scriptura, tum ex symbolo apostolico, denominationem sancti tertiae deitatis personae non ob essentiam tantum, sed potius ob sanctitatis suae effectum, quem in hominibus producit, adponi. Satis enim constat, summum hocce Numen sanctificationis opus in regno gratiae appropriatiue peragere, quatenus et iustitiam ac sanctitatem Christi, Mediatoris nostri, nobis imputatam a Deo patre ut iudice, confirmat, et efficaciam ex Christo, capite unico, membris ipsius mysticis impertit atque in ea effundit. Πνεῦμα autem ἐπαγγελίας dicitur, quia non solum ipse Θεοπνευστὸς auctor est, locuti enim sunt homines Dei sancti, ὑπὸ πνεύματος ἀγίας Θεόμυρος, 2 Petr. I, 21, et in veteri testamento per prophetas, Joel II, 28. Ies. XLIV, 3. Ezech. XXXVI, 27. Zach. XII, 10, atque in nouo foedere per Chri-

Spiritus ob-
signans.

Christum ipsum, Ioan. VII, 38. 39. Ioan. XIV, 16. XV, 26. XVI, 7. Act. I, 4. 5. II, 33, tamquam donum singulare et praestantissimum promissus est; sed etiam promissiones diuinæ in animis credentium confirmat, illosque in omnem ducit veritatem, nec non promissionem de statu gratiae et cœlesti haereditate in iis certam reddit, immo certissimam. Quare et πνεῦμα σοφίας κοι ἀποκαλύψεως Eph. I, 17 nominatur, per cuius gratiam illuminantem Deum erga nos in Christo benignissimum atque indulgentissimum vere agnoscimus, cuiusque ope πεφωτισμένος ὁ Θελμός τῆς διαβολος οὐδὲ accipimus, ut cum maxima animi voluptate et παρέγνωται iucundissima sciamus, quænam, et quanta, quamque firma vocationis nostræ spes sit, quæque ac quantæ sint diuinitæ haereditatis Dei gloriae in sanctis Deoque vñice consecratis. Eph. I, 18.

§. XLVI.

Spiritus egreditur a Patre. Spiritum huncce promissionis, vt ad nos veniat, et veritates diuinæ in nobis obsignet, a Patre exire, Christus, docttor noster summus, Ioan. XV, 26 adfirmat. Nec enim miti, nec in nobis inhabitare, nec de Christo testari posset, nisi a Patre egredetur. Non me fugit, vocem ἐπορεύεσθαι hoc loco relationem naturalem et essentialēm Spiritus ad Patrem præcipue designare: sed eam, supposita ac firmiter stabilita doctrina de processione Spiritus sancti a Patre et Filio essentiāli, deque persona Spiritus sancti a Patre et Filio distincta vereque diuina, relationem simul oeconomicam, cuius fundamentum essentialis egressio merito censenda est, inuoluere atque includere puto. Hoc modo Spiritus sanctus, veluti purus flumen aquæ viuae, splendidus tamquam crystallus, ἐπορεύεσθαι procedens ex throno Dei et Agni Ioanni Apocal. XXII, 1 ostensus est, Christusque promittit Ioan. VII, 37. 38, Spiritum sanctum, sicuti aquae viuae flumen, de ventre in ipsum credentis manaturum. Christus nempe vitae fons est, Ps. XXXVI, 10. Ier. II, 13: aqua viua denotat Spiritum sanctum. Ies. XLIV, 3 Ioan. IV, 14. Ex

Ex Christo fideles hauriunt et accipiunt Spiritum sanctum, tamquam aquam ex Christo, Mediato^re, fluentem. Hacque ratione instrumenta et vas^a sunt, per quae et alii, per verbum eorum credentes, Spiritus sancti, eiusque donorum caelestium participes sunt. Quemadmodum autem Ioannes Euangelista c. VII, 38 expressis adserit verbis, Spiritum sanctum tunc temporis, quo Christus donationem eius pollicitus est, non adsuisse, addita ratione, quia Iesus nondum glorificatus erat: ita et Saluator noster optimus, quando Ioan. XV, 26 discipulis suis praeedit, quod Spiritum sanctum sint accepturi, semet eum in futurum missurum, a Patre vero iam in praesenti egredi παρείληπτον, certiores nos facit. Verba haec ex dispensatione regni diuini oeconomica sunt illustranda. Pater, ut supremus index, misericordia sua erga miseros homines, omnibus plane viribus destitutos, e miserrimo suo statu eluctandi, in aeterno iamiam pacis consilio, ob redemtionem Sospitatoris nostri promissam, et in tempore, a sapientia diuina constituto, tandem penitus implendam, omnibus ac singulis hominibus sufficientem ad salutem Spiritus sancti mensuram addixit atque indulxit. Quapropter post lapsum protoplastorum efficaciam suam Spiritus sanctus statim exseruit, primos parentes conuertendo, fidemque veram in Messiam, ipsis adnuntiatum, in eorum animis producendo, cum impiis ante diluuium disceptando, semen sanctum in terris propagando et conseruando, atque in prophetis, tamquam Christi Spiritus, de passionibus et gloria eius testificando cet. Praecipue autem iis temporibus, quibus Christus in hunc mundum venit, et vadimonium pro nobis suscepit, nec non λύτρον, immo ἀντιλύτρον pro vniuerso humano genere in iudicio diuino exsoluit, varia Spiritus sanctus testimonia edidit, ex quibus luculenter adparet, se a Patre iam tunc temporis exire ad salutem hominum promouendam veram aeternamque. Repleuit namque Ioannem Baptistam ab eterno, descendit in istar columbae, quum Iesus baptizaretur, vnu-

guentum Christi humanae fuit naturae, conuertit discipulos ad voluntatem nutumque Iesu, Magistri indulgentissimi, commouit animos Christum audientium atque in admirationem stuporemque excitauit Christi miracula adspicientium cet. Egressus itaque a Patre Spiritus sanctus est ab initio mundi usque ad Christi tempora, ob foedus Patrem inter et Filium sanctum, Christi licet redemptio nondum suscepta esset neque absoluta.

§. XLVII.

et a Filio.

Vti vero Spiritus sanctus ob processionem suam infinitam atque essentiali, quam et a Filio Dei ab aeterno habet, Spiritus Christi Rom. VIII, 9, Spiritus Filii Dei Gal. IV, 6, Spiritus laborum eius Ies. XI, 4, sceptrum roboris eius, Psalm. CX, 3 dicitur: ita post exaltationem et sessionem Christi ad dextram Patris a Christo, tamquam Mediatore, aequa ac a Patre oeconomico egreditur. Nam per lytri exsolutionem plenariam ius sibi, Spiritum dandi, adquisiuit: effusioque Spiritus, sicuti signum victoriae eius plena de tenebrarum regno, sic maxima pars mercedis laborum a Patre, summo iudice, acceptae, reputanda est; ut per Spiritum suum homines ad salutem partam ducere queat. Quam ob causam Spiritus sanctus ex ore Christi, pro nobis mortui et post consummatam redemtionem in secula seculorum viuentis, vti anceps romphaea acuta, prodit, Apoc. I, 16. XIX, 15, postque erexitonem Messiae ex omni aerumnâ, quam nostro loco in se suscepit, celebratio Iehouae et exsaturatio mansuetorum per Spiritus sancti operationes saluberrimas sequitur, Ps. XXII, 26, 27; immo Pater Spiritum sanctum non tantum in nomine Filii, tamquam meriti Seruatoris nostri fructum excellentissimum, Ioan. XIV, 26; sed etiam Filius eundem, tamquam promissum a Patre, ad nos mittit, Ioan. XV, 26. Act. I, 4. II, 33. Quare conducere nobis adfirmat Ioan. XVI, 7, quod ipse abeat; nisi enim abiisset ad Patrem per mortem et resurrectionem, Paracletus, seu Aduocatus ille, ad nos non venisset: quum autem profectus sit, ad nos

nos certissime mittitur, vt operationes eius supernaturales ad emendationem nostram veram acque ac ad salutem nostram aeternam experiri possimus. Luc. XXIV, 49. Ioan. XVI, 7.

§. XLVIII.

Spiritum a Patre ac Filio procedentem missumque ad nos ^{spiritus} venire, sacer codex vndique docet. Infunditur super nos Spiritus de excelso, tuncque opus iustitiae pax atque effectus iustitiae tranquillitas est et securitas, vsque in seculum. Ies. XXXII, 15. 17. XLIV, 3. Effusus ad nos venit, vt Aduocatus et Spiritus veritatis, qui cauillam Dei in conscientia nostra, nostramque apud Deum agit: praecipue de Christo perhibet testimonium in nobis, glorificando ipsum et adnunciando nobis, quae a Mediatore nostro ad commodum ac felicitatem, toti humano generi partam, accepit, hacque ratione in omnem nos dicit veritatem, omni modo nobis salutarem. Ioan. XV, 26. XVI, 13. Quum autem Spiritus sanctus venire dicitur, illud de mutatione loci non est accipendum, vt homines venire solent, quando de loco in locum progrediuntur. Est etenim Spiritus infinitus ac omnipraesens, Pf. CXXXIX, 6, et per praesentiam potentiae in caelo terraque omnia regit et conseruat. Iuxta praesentiam gratiae vero operationes suas diuinias in animis hominum exserit ac manifestat, eosque salutis, per Christum adquiritae, reddit participes. Quoties ergo Spiritum operantem atque efficaciam eius gratosam in nobis experimur, toties ad nos venit, ac nouo opere nouoque effectu praesentiam suam indicat, instaurando in nobis imaginem diuinam, atque impertiendo nobis beneficia diuina, ex Christo, fonte salutis, saluberrima. Venit, dum arguit mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio. Ioan. XVI 6. Venit, dum dux viae nobis est. v. 13. Venit, dum nos, docet omnia, et suggerit nobis cuncta, quae Christus in verbo suo dixit. c. XIV, 26. Venit, dum testatur de Christo, eumque glorificat. c. XV, 26. XVI, 14. Venit, dum fideles

Ies per eum efflorescent velut gramen ac velut salices ad ripas aquarum. Ies. XLIV, 4. Venit autem, missus quidem, sed tamen sponte secundum suum beneplacitum, ut nostram vniue-
rse promoueat felicitatem, nomenque suum gloriosum in no-
strum manifestet commodum infinitum.

§. XLIX.

Spiritus ac-
cipitur.

Venientem credentes in se *fusciunt* Spiritum, per gratiam ipsius praeuenientem et operantem ex morte spirituali crepti ac *fusciati*, veraeque in Christum fide donati, qua cum Seruatore suo arctissimo vniuntur nexu, cuius sibi applicant iustitiam meritoriam, ob quam peccata omnia ipsis a Deo conciliato remittuntur, ipsique in numerum filiorum Dei recipiuntur; et, ut tantorum beneficiorum reddantur certiores, Spiritus Dei, tamquam testis veracissimus, ipsis impertitur, quem eadem, qua Christo adhaerent, fide accipiunt, cuiusque regimini se se tradunt, cuius ductum sequuntur, cuius testimonium in se sentiunt, cuius institutioni obedientes praebent aures, cuius denique donis impletur, in quibus adquiescent et delectantur. Venit Spiritus sanctus secundum amorem suum vniuersalem, quo omnes prosequitur homines, ad incredulos quoque, qui contra veritatem diuinam semet ipsis obdurant, et, ut filii tenebrarum, in perueritate ambulant; vultque radiis suis coecos eorum animos illustrare, mentemque Deo benignissimo inimicam conuertere, atque emendare: Ioan. XVI, 8: sed, quia gratiae eius praeparanti ac efficaciae praeuenienti morose resistunt; ideo Christus ipse pronunciat, quod Spiritum sanctum accipere haud possint, quia nec vident illum, nec eum cognoscunt. Ioan. XIV, 17. Quibus verbis ea adprime respondent, quae auctor libri sapientiae c. I, 3. 4. 5. sequenti modo edidit: *Prauae, inquiens, cogitationes alienant a Deo, et probata illius potentia arguit insipientes: siquidem in malitiosum animum non intrat sapientia, nec habitat in corpore peccatis obnoxio.* Sanctus enim disciplinae

Spiri-

Spiritus fugit dolum, et ab imperitis cogitationibus abigitur, et iniustitiae aduentu confutatur. Credentes tantum operationes diuinias admittunt, quam ob caussam ipsi soli Spiritum sanctum recipere in sacro codice leguntur. Discipulos suos adflauit optimus Seruator, eosque adlocutus est : *accipite Spiritum sanctum.* Ioan. XX, 22. Resipiscentibus atque in Iesu nomen creditibus promisit Petrus, quod Spiritus sancti donum accepturi sint. Act. II, 38. Conf. c. VIII, 15. 17. 19. X, 47. XIX, 2. Ioan. VII, 38. Qui Iesum excepérunt, et ex Deo geniti sunt, illis non tantum ius seu potestas data est, vt filii Dei sint facti : Ioan. I, 12. 13 : sed etiam Spiritum adoptionis accepérunt, per quem clamant, *Abba, Pater !* Rom. VIII, 15; dedit ipsis Deus, ipsique a Deo vera reecepérunt fide Spiritum fortitudinis, et caritatis, et frugalitatis, sive sanitatis animi. 2 Tim. I, 7.

§. L.

Acceptus Spiritus *inhabitabit* in animis credentium, tamquam in templo suo, 1 Cor. III, 16, manetque cum iisdem in omnem aeternitatem, vt opus gratiae in fidelibus per applicationem salutis continuet, perficiat, atque consummet. Ioan. XIV, 17. Denotat haec inhabitatio vniōnem credentium cum Spiritu sancto intimam. Non enim dona tantum Spiritus accipiunt, sed ipse quoque Spiritus est in ipsis, immo corpora ipsis templū sunt Spiritus Dei. 1 Cor. VI, 19. Eundem possident Spiritum, quo Christus est vñctus atque obsignatus. 1 Ioan. IV, 13. Modus huius vniōnis est plāne singularis. Scriptura sacra de veritate ac certitudine eiusmodi coniunctionis Deum inter atque homines fideles nos dubitare non finit : sed ita ea est comparata, vt non, nisi ab iis, qui inhabitatione diuina fruuntur, recte intelligatur ; quare et mystica seu arcana omni iure appellatur. Nec ipsis Christo vere addictis eadem penitus cognita est et perspecta, quare vita ipsis, quam ex efficacia Spiritus cum ipsis vñiti degunt, cum Christo abscondita

dita in Deo dicitur, post hanc vitam prorsus manifestanda. Col. III, 3. 4. Inter annulum signatorium et digitum, eundem gerentem, nec non inter sigillum expressum et rem eodem signatam, intima intercedit relatio: eamdem deprehendimus relationem, quando Spiritus sanctus per inhabitacionem suam nobiscum vnitur *). Sub variis haec arcana coniunctio in sacro codice nobis proponitur emblematisbus. Requiescit Spiritus Dei et gloriae super credentibus, 1 Petr. IV, 14, quemadmodum Spiritus Iehouae, Spiritus sapientiae et intelligentiae, Spiritus consilii et potentiae, Spiritus scientiae et reuerentiae Iehouae super Christo quiescit. Ies. XI, 2. Illuminati donumque gustantes caeleste participes facti sunt Spiritus sancti. Hebr. VI, 4. Ita habent Spiritum Christi, vt ex

*) „Modus huius vnionis exacte scrii a mortalibus non potest: Eph. „V, 31. 32. 1 Ioan. III, 2: describitur tamen a terminis vni- „onis, seu subiectis vniendis, mediis, forma, et fine vnionis, ita „vt constare possit, non esse vniونem essentiale, ratione modi „sic dictam, qualis est siveculi, qui coalescit cum trunko in vnam „numero essentiam arboris: neque communem illam omnium „hominum vniونem cum substantia Dei, per naturae humanae „conditionem, de qua Act. XVII, 28: neque substantiae huma- „nae, et accidentis, seu operationum et motuum diuinorum tan- „tum; sed vniiri substantiam hominis fidelis cum substantia toti- „us S. S. Trinitatis, per iuncturam substantiae ad substantiam, „sine extensione aut contractione essentiae diuinae, sola modi „variatione, qui pro benevolia voluntate Dei diuersus est: tum „in hac, tum in aeterna vita. Terminus huius vnionis ex parte „Christi Θεοῦ θεός non est sola diuina, sed et humana eius na- „tura, cui praeter vniونem illam, quae fit in baptismo et sum- „tione eucharistiae, etiam fide extra sacramentum iungimur, quo- „ad substantiae nostrae peculiarem quandam approximationem.“
Haec habet HÜLSEMANNVS in breviar. p. 53. Conf. DANN- HAVERI Hodos. p. 864. BREITHAVRTI instit. theol. p. 209.
BVDEI instit. theol. mor. I. 1. 4. 85. seqq. praecipue §. 88. GLAS- SIVS in seinem Bedenken über die Helmstedtische Controvers. p. 88.

ex inhabitacione eius certissime sint persuasi, se Christi esse peculium. Rom. VIII, 9. Adpetitum eorum in siccitatibus ita Iehoua saturat, artusque eorumdem ita curat, vt, ex unione Spiritus sancti cum iis, similes sint irrigui viridarii aut aquae originis, cuius latices non sunt fallaces. Ies. LVIII, II. Ex aqua illa bibunt, quam Christus ipsis dat, quaeque symbolum est Spiritus sancti, nec sitiunt in aeternum; sed aqua illa, quam Christus fidelibus suis impertit, in ipsis est fons aquae, salientis in vitam aeternam. Ioan. IV, 14. c. VII, 39. Inhabitatio itaque non solum perpetuam Spiritus apud credentes mansionem in his terris denotat; sed continuabitur eadem etiam in omnia saecula, quando Deus triunus erit omnia in omnibus. Hoc etenim foedus Deo cum fidelibus suis intercedit, vt Spiritus eius nunquam in omnem aeternitatem ab iisdem recedat. Ies. LIX, 21. Obsignati sunt eodem usque in diem redemptionis, Eph. IV, 30, et est arrha haereditatis eorumdem, Eph. I, 14, immo est Deus aeternus ipse, in aeternum suos in statu gloriae confirmans, exhilarans, omnem lacrimam ab oculis eorum abstergens, omnique bonorum libertate eos impletens, vt non esuriant amplius, neque sitiant, nec in eos cadat sol, neque ullus aestus. Apoc. VII, 16. 17.

§. LI.

Spiritus inhabitans efficaciam suam duplice potissimum spiritus ad modo in animis credentium generatim exserit. Primo enim plicat nobis Christum, unicum verae aeternaeque salutis fontem, glorificans, testimonium de eo perhibens, quod vita nostra spiritualis et semper ab eo tantummodo dependeat; donaque a Christo adquisita nobis ita applicans, vt iisdem cum vera animi voluptate frui queamus. Sic amor Dei, quem erga nos eo commendat, quod Christus pro nobis mortuus est, per Spiritum sanctum in animis credentium effusus est, Rom. V, 5. 8, vt gustent et videant, quam bonus sit Iehoua, quamque felix sit homo, qui ei confidit. Ps. XXXIV, 9. Est omnino mutua

K

Deum

Deum inter, et hominem fide iustificatum, amicitia veraciffima, suauissima. Deus paterno affectu diligit hominem ob Christi iustitiam ipſi imputatam, curam illius gerit pate nam, eumque omnibus bonis caelestibus in Christo instruit. Homo autem a cordibus peccatorum purificatus Deoque vere addictus et consecratus, atque in numerum filiorum Patris caelestis receptus, summum Numen, patrem benignissimum, summo atque intimo amplectitur amore, omniaque animi sensa ad eum dirigit, nec gratum suum animum, pro tot tantisque a Patre in Christo indulgentissimo concessis fibi beneficiis, unquam satis declarare ac re ipsa fatis demonstrare potest. Internuncius tantae felicitatis est Spiritus sanctus, qui non tantum pacem, a Deo decretam et per Christum recuperatam, efficaciter offert et salutariter confert, sed etiam fideles de pace, quam vere adepti sunt, certiores reddit, et ex gusto suauissimo, quem ob Christum in communione Dei sentiunt, animos eorum exhilarat, corroborat, confirmat atque ad Dei laudes maximopere impellit. Vnde fit, ut per Christum ex impulsu Spiritus sancti aditus ad Patrem ipsis pateat, ipsique accedant cum πραγμοναι et libertate loquendi ad thronum gratiae, et consequantur misericordiam, inueniantque gratiam ad tempus opportunum. Hebr. IV, 16. Effundunt cum animi fiducia omnes animi dolores in sinum Patris, confidenterque possunt vberiorem ex Christo, fonte salutis, gratiae diuinæ mensuram, certissime ex Spiritus sancti testimonio interno persuasi, preces suas, fide in Christum fundatas, Deo minime displicere, sed gratas potius esse acceptasque, Dumque, quidquid habet, id omne cum filiis suis libenter communicare, et quidem eo ordine, tempore et gradu, quem pro sua immensa sapientia ipsis expedire cognoscat. Quam ob cauſam tranquilla gaudent conscientia platiatissimaque quiete, illuminatis mentis perspicentes oculis, Patrem, ipsis reconciliatum in Christo, sapientissime cuncta disponere atque ad eum dirigere finem,

finem, ut ipsis etiam ea, quae aduersa videntur, sint salutaria. Immo experientia quotidiana docentur et confirmantur, ipsos aduersarios, licet inuitos atque ignorantes, ipsorum solutum et commodum promouere. Vnde securitas in Deo dulcissima maximaque in Deum fiducia omni tempore omniisque occasione fluit. Cubant itaque in finu Patris altissimi et potentissimi, et dormiunt cum requie blandissima in gremio diligentis ac dilecti Sponsi, Iesu Christi, in omnibus viis prouidentiae diuinae scie gubernandos committentes, omniisque cupiditate sua praua abnegata, voluntati ac regimini Dei sapientissimi, benignissimi, semet ipsis tradentes. Phil. IV, 6. 7. Ita diuinitus animati solamen percipiunt diuinum in calamitatibus cunctis, quas, Christi vestigia prementes, in hoc saeculo patiuntur. Sicut enim exundant perffessiones Christi in fidelibus; ita per Christum exundat quoque consolatio eorumdem. 2 Cor. I, 5.

§. LII.

Spiritus regenitorum animos exhilarans, quum dona Spiritus vires euangeli*i* ipsis ad�icat eosque in fruitione bonorum caelestium conseruat, ut credentes omni laetitia atque pace supernaturales conseruat. spirituali impleantur viuaque aeternae haereditatis spe abundant, Rom. XV, 13, inhabitantem suam gratiam porro eo modo manifestat, ut vires, in regeneratione ipsis concessas, benigne conseruet, easque in dies adaugeat, atque hac ratione Christo fide addictos ad omne opus bonum perficiendum via sua diuina impellat. Speciali itaque concursu efficaciam suam in fidelibus exserit, ne damnum capiant, nec iacturam felicitatis aeternae faciant, sed ut potius inculpati ad diem extremum reddantur et confirmentur. Est, qui inchoat rem bonam in nobis, quiqe eamdem absolu*t*, Phil. I, 6, nosque a lapsu immunes feruat, tandemque in gloriae viae conspectu cum laetitia sifit inculpatos. Iud. v. 24. Quam ob causam maximo credentes odio erga quaevis peccata implet, tenebras mentis adhuc residuas discutit, reliquias peccatorum inhaerentes

rentes supprimit, ne dominantur, verae pietatis obstacula remouet, contra Satanam, mundum et philautiam prauam pugnantes robore sufficit potentissimo, motus animi voluntati diuinae excitat conformes, omnique tempore et modo inseruit fidelibus, vt in viis Domini iuxta normam diuinitus praesciptam fidenter et sincere ambulent, atque in virtutis studio maiores quotidie progressus faciant, nec non in vera animi paupertate et humilitate conseruentur, certissime persuasi, se viribus suis nihil boni, omnia vero, quae voluntati diuinae consentanea perpetrant, Spiritus gratiae efficacissimae debere, neque ignari, ex sua ipsorum culpa multas sibi adhaerere fordes, multaque sese Spiritui operanti et concurrenti ponere impedimenta, quorum veniam et remissionem in vulneribus Christi quaerunt et adipiscuntur, omnis benevolentiae diuinae, et laetitiae spiritualis, quin et roboris diuini fundamentum unicum Seruatoris sui iustitiam, ipsis imputatam, vera fide contemplantes, et per hanc solam vitae aeternae gloriam exspectantes. Fideles ergo ex Spiritus impulsu non ad carnis libidinem vivunt, sed carnis actiones perirent, et Dei Spiritu aguntur: Rom. VIII, 12. 13. 14: obtemperant Spiritui, neque carnis cupiditatem exsequuntur: Gal. V, 16: purgant semet ipsos ex concursu diuino validissimo ab omni et corporis et animi labore, sanctimonia perfungentes cum Dei metu; 2 Cor. VII, 1; suntque sinceri et innoxii ad Christi diem, pleni iustitiae fructibus, qui per Iesum Christum ad gloriam laudemque Dei pertinent, Phil. I, 11, in quibus praecipue Gal. V, 22 caritas, gaudium, pax, clementia, benignitas, bonitas, fides, lenitas et continentia numerantur.

§. LIII.

Hic generatim praemissis, nunc tandem singula obsignationis credentium passiuæ momenta seorsim consideranda sunt, vt clarius constet, quanta beneficia sub hoc emblemate lateant, quantaeque praerogatiuae Christo adhaerentibus eodem

Dicendorum
ordo.

dem insinuentur. Possem quidem hic latius excurrere, nec dissertationem, sed tractatum pleniorum et volumen amplum conscribere, si veritates obuias hucque pertinentes prolixius pertractare animus mihi esset: sed vela, quantum potero, contraham, sciagraphiam doctrinarum maximi omnino momenti altissimaeque indaginis breuem tantummodo subministraturus; quo ex paucis adpareat, omnium hominum felicissimos Spiritu sancto obsignatos iure meritoque esse adpellandos *).

§. LIV.

* SVICERVUS fuisus docet, σφραγίδα patribus 1) baptismum fuisse. Vocatur enim baptismus a CAESARIO quaest. XII. p. 26, σφραγίς τῆς μυστικῆς τελεότητος, sigillum mysticae perfectionis: a BASILIO MAGNO in exhortatione ad baptismum p. 481, σφραγίς ἀνεπιχείρητος, sigillum non manu factum. Cur autem baptismus σφραγίδa nominetur, de eo GREGORIVS NAZIANZENVS orat. XL. p. 639. hanc reddit rationem: Baptismum σφραγίδa καλέμεν, ως συντήρησην, καὶ τῆς δεσποτείας σημείωσιν, sigillum vocamus, quia est conseruatio, ac dominationis significatio. Aliam causam huius baptismi appellationis adducit CHRYSOSTOMVS, homil. III in II ad Corinth. p. 566; dicit enim: Καθάπερ σητιώταις σφραγίς, έτω καὶ τοῖς πιστοῖς τὸ πνεῦμα ἐπιτίθεται. καὶ λειποτελέσης, κατάδολος γίνη πᾶσιν. Τελεῖοι μὲν γὰς εἴχοι σφραγίδα τὴν περιτομήν, ήμεῖς δὲ τὸν ἀσβέτωντα πνεύματος. Quemadmodum nota quadam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus imponitur: quo sit, ut, si ordinem deserueris, omnibus perspicuis fias. Iudei enim signi loco circumcisioem habebant: nos autem arrham Spiritus. Conf. IOSEPHI BINGHAM orig. eccles. libr. XI. c. I. §. VI: ubi ex CLEMENTE ALEXANDRINO contra CHRISTOPHORSONVM, BELLARMINVM, SELDENVM et alios multis disputatur verbis per σφραγίδa veteres baptismum intellexisse. Consentientes habet VALESIVM in not. in Euseb. lib. III. cap. XXIII, et DALLAEVM de confirmat. libr. II. cap. I. p. 110; nec non TERTULLIANVM in apol. cap. 21, et GREGORIVM NAZIANZENVM orat. XL. de baptismō pag. 639. Quae de sigillo sacramentali, more suo, folide et accurate scripsit DANHAVERVUS, legi possunt in lacī. catech. tom. VIII. p. 186.

§. LIV.

Spiritus san-
ctus est annu-
lus signatori-
us.

I. Si Spiritum sanctum, in credentibus habitantem, vt do-
num diuinum maximum contemplanur, tunc sub ſymbolo
annuli signatorii conſiderari potest, quem Christus, Sponsus,
ſponsae ſuae, tamquam pignus in maiorem gratiae et adoptionis
certitudinem largitur. Christum nobis per fidem adplicamus
et cum eo vniuimur; ex vniione oritur communio. Ut vero
vnuionis et communionis cum eodem certiores reddamur, Spi-
ritus sanctus, vt annulus signatorius, in tefleram amoris con-
iugalis Sponſi caeleſtis erga ſponsam, multis modis fluctuantem
variisque dubitationibus obnoxiam, gratioſiſſime nobis
impertitur, vt firmiſſime ſciamus, nos benigniſſimo ac blandiſſi-
mo Sponſo frui, qui nos feruentiſſimo proſequitur amore,
cuique caſta mente vitam omnem conſecrare debemus. Vno
cum Christo ardua valde et mysterii plenifima eſt: quare Pau-
lus, de Christo et ecclesia loquens, mysterium hoc magnum

pro-

*ſeqq. et in bodos. p. 1018. 2) Σφεργύς etiam apud veteres denotat manuum impositionem, quea ſiebat ad ordinationem, quia tum manum imponebant capitū, ſignum crucis etiam in capite conſer-
randi faciebant. DIONYSIUS AREOPAGITA, cap. V. de ec-
cles. hierarch. p. 314. σαυγοειδῆ σφεργύδα vocat, et p. 312 expli-
cat mysterium ſacerdotalis confeſcationis: Εκάστω αὐτῶν ἡ σαυ-
goειδῆ ἐνσημαντεῖται πρὸ τῷ τελεῖντος ἱεράρχου σφεργύς. Uni-
cūque corum ſignum crucis a confeſcrante Episcopo inprimitur. Hoc
ideum faciebant etiam in facramento confirmationis, quea olim
ſola manuum impositione celebrabatur fine chrismate: vnde et
σφεργυτθῆναι absolute ſignificat confirmationis sacramentum ac-
cipere per impositionem manuum. 3) Apud recentiores Graecos
σφεργύς eſt pars illa panis, quea ſignaculo crucis pro more Grae-
corum, aut quadrato aut circulari, obſignata eſt; in quo eſt ſi-
gnum crucis cum litteris graecis Ἰησός Χριſτός abbreviatis: IC
XC NIKA, Iesu Christuſ vincit. Ita vocem hanc in liturgia
BASILII sumi, docet ALLATIUS apud SVICERVM l.c. Conf.
FRID. ADOLPH. LAMPE Geheimniſſ des Gnadenb. P. IV. Vol.
II. p. 1205.*

pronunciat, Eph. V, 32. Fideles Christo iunguntur, ut arbori ramis,
Rom. XI, 17, ut viti palmites, Ioan. XV, 1, ut memb' a corporis ca-
piti, 1 Cor. XII, 12, ut lapides fundamento, 1 Petr. II, 4. 5.
Vt vero nulla hominum inter se arctior societas est, quam
quando maritus vxorem ducit in matrimonium: ita placuit
sapientissimo Numini sub figura coniunctionis matrimonialis
vinculum, quod inter nos et Christum est, ob oculos saepius
nobis proponere, ut vim et dulcedinem matrimonii spiritualis
eo melius discamus ac perspiciamus, tamquam praeludium
et exordium nuptiarum in futuro saeculo certissime celebran-
darum. Apoc. XX, 9. Recipit Sponsus sponsam suam in
communionem omnium, quae ut Mediator habet, bonorum,
suosque, quacunque re gent, replet ex sua abundantia, immo
quidquid cogitari bonum, vtile aut egregium potest, illud
suis non denegat. Donum autem excellentissimum omnium
que praestantissimum est Spiritus sanctus, tamquam annulus
coniunctionis et fidelitatis aeternae, et tamquam signum amo-
ris sui erga sponsam flagrantissimi vehementissimique. Ef-
fectus, qui ex datione atque acceptatione caelestis annuli oriun-
tur, sequentes potissimum sunt. 1) Spiritus sanctus, vni-
nem inter Christum et credentes confirmans, testimonium ve-
racissimum sponsae dilectae de praesentia et benignitate Sponsi
amantissimi perhibet. Ex hoc enim scimus, quod Christus
maneat in nobis, ex Spiritu, quem nobis dedit, 1 Ioan. III, 14,
ex eodemque Spiritu, quem nobis dedit, colligimus, quod in
eo nos maneamus. Cap. IV, 13. 2) Spiritus, Christum in no-
bis glorificans, et donum diuinum, quin immo ipse Deus
summus, testis est perpetuus et omni exceptione maior summae
Sponsi nostri caelestis excellentiae, felicissimaque cum ipso nobis
intercedentis unionis. Vnde sequitur, ut Christo coniunctus
omnia censeat pro iactura prae praestantia cognitionis Sponsi
ac Domini sui Iesu Christi. Phil. III, 8. 3) Spiritus certissi-
mos nos reddit de bonis, a Christo nobis largiter concessis, quae
posside-

possidemus in communione cum ipso, quibus laeti fruimur, de quibus fidenter gloriamur, ex quibus blanda quies oritur, quaeque ad gratias euergetae et Sponso nostro beneficentissimo deuotas habendas maximopere nos impellunt. Quid suauius nominari potest, quam si sponsa cum intima animi fiducia exclamare potest: *Dilectus meus mihi, et ego illius?* Cant. II, 16. Gaudet fidelis in Iehoua, exsultat animus eius in Deo, quia induit eum vestibus salutis, pallio iustitiae amiciuit eum, tamquam sponsum administrantem, et veluti sponsam, ornantem se suis instrumentis. Ies. LXI, 10. 4) Docet tandem nos Spiritus, vti annulus a Sponso nobis missus ac traditus, quod vno haecce mystica atque arcana sit *dignissima*, ob dignitatem et excellentiam eius, quocum hic iungimur, *proficia* quoque et *utilissima*, ad nostram vnicę tendens salutem, nec non *arctissima* et *plane inseparabilis*, robur nobis diuinum instillans, vt, si eodem recte utamur, numquam non Sponso nostro adhaerere queamus: gratia etenim et pax perpetuo piis contingit, et electorum cura a Christo Sponso interrupte habetur, vt numquam a beneficiando ipsis fese auerterat, reuerentiam potius sui adserat animis ipsorum, vt non recedant ab ipso. Sap. III, 9. Ier. XXXII, 40. Horum omnium, quaeque hoc spectant, beneficiorum Spiritus, tamquam annulus signatorius, testis est fidelissimus fideque dignissimus.

§. LV.

*Spiritus est
signum amo-
ris Dei erga
nos.*

II. Annulus signatorius iis olim tradebatur, quos principes ac reges accessu ad se intimiori, et clementia sua peculiari dignos putabant, vsisque sigillorum praerogatiuam quondam prae aliis significabat; vti prolixius §. XII ostendi. Ob Christum amore Dei, tamquam Patris nostri, fruimur. Spiritui sancto non solum debemus, quod paternus amor summi Numinis ad nos veniat; sed lumine suo diuino nos etiam instruit, vt eum rite cognoscamus; et vi sua omnipotenti animum nostrum

nostrum praeparat, vt eumdem in nobis vere sentiamus, Rom. V. 5. Eph. II, 18; nec non de fauore Dei erga nos immenso certiores nos reddit, immo certissimos. Per connubium cum Iesu filii Dei euadimus: cuius quando sponsa facti sumus, transimus cum ipso in familiam Dei, Patris ipsius, et Pater nos dulcissimo filiae nomine compellat; Ps. XLV, 11; Christus autem sponsam suam sororem vocat. Cant. V, 1. 2. Ne vero harum praerogatiuarum ignari simus, Spiritus sanctus animis nostris vna testatur, nos esse Dei liberos. Rom. VIII, 16. *)

Opera-

*) Ad arrhas sponsalitias in primis referendus est annulus, quem pignoris loco sponsus dare aut mittere solet sponsae. TERTULIANVS eum pronubum dixit in *Apolog.* Cap. VI. Circa feminas, inquit, etiam illa matorum instituta ceciderunt, quae modestiae, quae societati patrocinabantur, quem aura nulla norat, praeter unico digito, quem sponsus oppignorasset prombo annulo. Hocce annulo sponsus non solum ornabat sponsam, sed et ius in res domesticas ei confignabat, docente CLEMENTE ALEXANDRINO libr. III. Paedag. cap. XI. Dat, inquit, sponsus sponsae annulum aureum, nec eum quidem ad ornatum, sed ut ea obsignet, quae domi digna sunt, quae custodiantur; propterea quod seruandae domus cura ad eam pertineat. Addit ibidem: Quae aurum gestant mulieres, mibi videntur timere, ne, si quis aurum abstulerit, existimetur ancillae, ut quae non sint ornatae, quia non omnibus olim concessum, gestare annulos aureos, sed ingenuis duntaxat, seruis vero et liberis ius annulorum non fuit. Vid. IOACHIMI HILDEBRANDI libell. de nupt. vet. Christ. Pronibus iste annulus in annulari sinistrai manus digito ponebatur, vt erga sponsum admoneretur sponsa, affectum cordis praestare; siquidem in eo annulari digito venula quaedam extare dicitur, quae cordi conterminatur. ISIDORVS lib. II. de offic. cap. XIX. Conf. KIRCHMANNI libr. de annulis. Annulus quoque adagium est de re vehementer cara, accepta et pretiosa. Hinc Deus ad Zorobabelem dicit: Adsciscam te, et pro annulo habebbo, quoniam te delegi. Hagg. II, 24. De Chonia vero tale Deus

L. 10. 2. & 3. q. inq. d. iustis.

Operationes Spiritus sancti, tamquam Spiritus adoptionis, in animis credentium eo praecipue tendunt, 1) ut mentem fideli-
um ad meditationem atque adprehensionem gratiae Dei saluificae
excire

iustissimus Ier. XXII, 24 fert iudicium: *Etiam si esset Chonias, Ioa-*
chini Iudeae regis filius, mihi annulus in manu dextra, inde te
auellam. Optime hic VATABVS Dei irati mentem expressit,
dum ita scribit: Etiam si Chonias fuerit mihi antea dilectissimus
et coniunctissimus, et similis annulo signatorio, quem homines ob-
pretum et dignitatem assidue gestant in manu dextra, et nun-
quam deponunt; tamen cum auellam, et nullam ipsius curam beni-
gnam habebo, cet. Vid. RECHENB. Hierolexic. p. 91. Quae mens
fuerit sponsae Sponsi caelestis dulcissimi Cant. VIII, 6, hic facile
intelligitur, quum Sponsum suum ita adloquitur: Admove me tam-
quam sigillum tuo pectori, tamquam sigillum tuo brachio. Nimi-
rum hoc in votis habet, ut insculptur cordi et brachio Sponsi,
tamquam nota impressa sigillo: quo tum alte fixum sui vestigium
intus in animo infideat, tum foris semper in oculis geratur. Vel,
ut CALOVIVS explicat, id petit sponsa, ut non tantum inflar-
monitis cordi sit proxima, sed ut cordi ipse, atque ita etiam bra-
chio Christi, imprimatur seu signaculum; ut semper geratur in
animo, ut ipsius memor sit, Neh. XIII, 14, ipsamque amet;
semper in brachio, ut ei beneficiat, et nimirum eam destruit
gratia ac virtute sua. Hoc enim loco sigillum non denotat in-
strumentum signandi, seu annulum signatorium, distincte nitide
que exsculptum et studiose seruatum; sed potius ipsum chara-
cterem, sive signum aut typum, qui molliori materiae imprimitur.
Vid. D. MICHAELIS vberior. adnotat. in b. l. pag. 710. Addere
hic placet, quae GROTIUS apud CALOVIVM in bibl. illistr. ad
Luc. XV, 22 adnotauit. Quum enim ibi dicitur, quod, ad man-
datum patris benignissimi, filii reuertentis manui annulus sit
adhibitus; ita laudatus Auctor de dextro legi scribit: Δεκτόνεον
apud Romanos ingenuitatis, apud Orientis populos dignitatis exi-
miae signum, Gen. XLI, 24, aut etiam opulentiae, Iac. II, 2.
Quum autem annuli usus inter alia sit signare, non male veteres re-
spondere annulo putant donum Spiritus sancti, qui nos obsignat.
*Vid. supra p. 36. §. XXI. not. **)*

excitet et manū quasi ducat, quo horror et metus seruilis, ex conscientia peccatorum ortum suum trahens, pellatur, gustum quendam diuini amoris, parcus primum, mox uberiorius, credentibus in Christum praebendo. Iussu patris, manui filii, antea perdi ac mortui, sed rediuiti et inuenti rursus, adhibebatur annulus, in signum amoris paterni: Luc. XV, 22: tali modo mittit Deus Filii sui Spiritum in animos nostros; quia filii sumus; vt omnis de fauore Dei erga nos summo cesseret dubitatio; Gal. IV, 6: per eumque Spiritum vnicuique filiorum suorum benevolentiam suam ita declarat: quam de sponsa sua capit voluptatem sponsus, eam de te capio Deus tuus. Ies. LXII, 5. 2) Deinde Spiritus Patris, vt annulus a patre acceptus, *praeflantissimam filiorum Dei indicat conditionem*. Eximia est nobilitas, ex Deo natum esse. Nihil excellentius diuina illa natura adpellari potest, quam noua generatione accipimus. Sed bonum merito est eminentissimum, quod Spiritu sancto suos Deus obsignat, eodemque Spiritu, quo Christus vinctus est, et nos vngit. Acceptos suos sibi reddit per suum Filium carissimum; Eph. I, 5: sed et Spiritu suo eos donauit, vt ipse in laudem et nomen et gloriam sint, Deuter. XXVI, 19, tamquam decoris corona in manu sua, et regni diadema in palma sua. Ies. LXII, 3. 3) Porro Spiritus Patris dicit, immo trahit filios Dei ad thronum gratiae, efficitque, vt ex impulsu ipsius, tamquam Spiritus gratiae et precum, fiducia filiali cum Patre caelesti colloquium instituant familiare, et de exauditione orationum suarum nulli dubitant. Habemus aditum ad sacrarium liberum per Iesu sanguinem: vt vero accedere queamus cum vero animo, plenaque fide, et animis, a mala conscientia ablatis, et corporibus, aqua pura lotis; illud gratiae debemus Spiritus sancti, a Deo nobis dati et in nobis habitantis. Hebr. X, 19. 22. Zach. XII, 10. Praeparat nos veros cultores, vt Patrem spiritu et veritate adorare possimus. Ioan. IV, 24. Per eum

clamamus, claraque voce confidenter Deum Patrem nostrum vocamus. Gal. IV, 6. Non autem filios Dei tantum impellit ad preces, cum παρέγνωσις et πληνοφορία fundendas: sed et ipse Spiritus Dei orat, atque intercedit pro iis, quibus in signum amoris Dei paterni datus est *). Siquidem Paulus expressis verbis dicit, filios Dei Spiritum accepisse, per quem clamant: Abba, Pater! Rom. VIII, 15; et addit v. 25. 26, quod Spiritus nostris succurrat infirmitatibus: nam, quid oreamus, ut fieri debet, nescimus; sed ipse Spiritus pro nobis suppli-

*) Spiritus sanctus intercedit pro nobis 1) effectiue, quum ad preces fundendas nos impellat, 2) formaliter, quum ipse pro nobis coram throno Dei oret. Negant posterius Theologi nonnulli, ut CALOVIVS in bibl. illustr. Tom. III. p. 792; alii adfirman multis atque exquisitis rationibus, vii DORSCHEVS in theol. Zach. Part. II. p. 188. §. 43, qui sequenti modo mentem suam exponit: *Spiritus sanctus dicitur postulare non solum, quia postulare et gemere facit*, ut Matth. X. 19 dicitur loqui in apostolis; sed etiam qua desideria amicorum suorum, eorumque gemitus inenarrabiles admirabili ratione excitatos in consistorio sacro sanctae Trinitatis, quasi paracletus et aduocatus noster, magna instantia, magno pondere, magna auctoritate exponit, et ineffabili quodam modo repreäsentat. Immo etiam sublimi et penetrantis-ima ratione gemitibus nostris sese quasi miscit et diuina περιχώ-γηται insinuat, et, quod precibus deest, gemitu sancto in piorum cordibus includit. Argumenta pro intercessione formalis Spiritus sancti exhibet FRANCISCVS IVLIVS LÜTKEN in Colleg. Bibl. p. 238. Discremen vero inter Christi et Spiritus sancti interces-sionem in eo consistit: 1) Christus intercedit, tamquam Θεός Θεωνος; Spiritus sanctus autem, tamquam Deus; 2) Christus tamquam mediator; Spiritus sanctus tamquam aduocatus; 3) Christus intercedit pro omnibus hominibus; Spiritus sanctus tantum pro fidelibus. Vid. GODOFR. OLEARII Diff. de adorazione Dei Patris per Ies. Chr. p. 39, nec non EIVSDEM diff. de adorazione Spiritus S. cum Patre et Filio p. 41. Conf. LÜTKEN l. c.

supplicat gemitibus ineffabilibus *). Animorum autem inda-
gator

*) „Illustris est locus de ὑπερέντευξι Spiritus sancti a diuino Paulo
„conceptus in epist. ad Rom. VII, 26: Ἀυτὸν τὸ πνεῦμα ὑπερ-
„εντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν σεναγμοῖς ἀλάλητοις: Ιψὲ Spiritus in-
„tercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus, vel, ut TERTUL-
„LIANVS interpretatur, ineloquis. Est haec ὑπερέντευξις, ipso
„Apostolo interprete, 1) ἀλάλητος, ac ineffabilis, mirabilis,
„quae sit ipsis fidelibus saepe insciis, quin anxietae cordis obseSSI
„tenentur, nulla profanae cogitationis forde temeranda. Nimi-
„rum qualis Spiritus sancti est processio, qualis in fidelibus mo-
„tio, talis et ἐντεύξις, at ἀνατάληττος illa. Balbutire tamen li-
„cet, quibus eloqui non est datum. - - - Αλάλητος est,
„quod difficulter exponi potest; ita adhuc multarum difficultatum
„nebula obseptum est. Eamus, quo lux diuina prait. Est
„igitur illa ὑπερέντευξις 2) effectua, transitua, et, vt sic di-
„cam, hiphilica. Spiritus gemit pro nobis, qui gementes nos
„facit, vt rotunde exponit AVGVSTINVS lib. II. de Trin. cap.
„III, quidquid usque patronus et aduocatus caussae praefstat suis
„clientibus, id omne Spiritus sanctius fidelibus, Spiritus scilicet
„precum. Zach. XII, 10. Vnde per τὸ ὑπέρ existimat ERAS-
„MVS significari, Spiritum sanctum veluti praefectum esse san-
„ctorum votis, vt ea moderetur. - - - Spiritus enim san-
„ctus clienti suo reoque desperabundo solatia adspirat, caussae suae
„diffidentem animat, ignoranti modum precandi docet, caeco
„lumen addit, consiliu experti suadet salutaria, accusatum defen-
„dit, languidum ad preces excitat, infirmam ejaculationem robo-
„rat, impuram defecat, ingratam grata facit, obscuram sere-
„nat, hebetem acuit, ignauam sublimat, ad thronum Dei addu-
„cit tardam: vincit tandem, obtinet caussam, consequitur vo-
„ta, implet desiderium. 3) Περιχωρησική, concurrens quasi
„cum nostris gemitibus ad quoddam quasi commune ἀποτέλε-
„σσις. Haec enim est συναντίληψις depraedicata in hoc eo-
„dem loco, qua συναντίληπτως vna et quasi e regione cum al-
„tero stat, operatur, innat. Observa hic, inquit D. GLASSIVS
„phili. sacr. tr. III. cap. XXXII. p. 279, incundissimam et consola-

gator nouit, quae sit Spiritus adſectio, qui quidem ſic, ut Deus poſtulat, pro sanctis orat. O quanta filiorum Dei felicitas! Aduocatum habent ad dextram Patris, Iesum Christum, iustum, qui idem peccatorum eorum piaculum eſt perfectissimum omnibusque numeris abſolutissimum: 1 Ioan. II, 1. 2: Aduocatum aliud in ſe habent, qui cum iſpis perpetuo manet. Ioan. XIV, 16. Quaecumque ergo per Spiritum sanctum in nomine Filii a Patre poſtulant, certiſſime iſpis dabuntur. Ioan. XVI, 23. Vnde ea eſt, quam ad Deum habent, confidentia, quod, ſi quid ex eius voluntate poſtulant, audiat eos. 1 Ioan. V, 14. 4) Ex his quoque luculentter adparet, *quantae ſint filiorum Dei praerogatiuae.* Quum enim Deus iſpis Filium ſuum, ut mediatorem ac redemptorem, nec non Spiritum ſuum, ut annulum et pignus fauoris ſui, dederit, num nominari quid potest, quod tantis bonis aequiparandum eſt? Qui vero maxima confert bona, minora haud denegabit, praesertim quum omne, quod verum bonum adpellandum, in Christo, ſalutis cunctae auctore, deprehendatur, et Spiritus sancti efficacia nobis adplicetur ac nobiscum communiceatur.

„minis pleniffimam intercessionis Spiritus sancti et ſpiritorum coniunctionem, et quaſi περιχώρησιν. Dum ſpiritant contritae et Deo addictae per Christum animae, ſpirare et ſimil intercedere, ὑπερεπυγχάνειν, dicitur Spiritus sanctus. Quidquid precibus deefit, id gemitu sancto in piorum cordibus compensat, Spiritus sanctus. Is gemitus non eſt ex naturae viribus, ſed ex Deo: vnde αἰδάντος. 4) *Oratio formalis*, locutio diuina, lingua caeleſtis, Deo digna, interceſſio Spiritui sancto propria. Spiritus sanctus, qui e corde Patris exit, calidus a corde diuinino; qui cordis diuinini arcana ſcrutatur, is cor nostrum diffidens et desperabundum erigere potest; et de corde diuino in corda noſtra miſſus, facere, ut audeamus dicere: Abba, Pater!, ſeqq. Digna haec verba viſa ſunt, quae ex DANNHAVERI *Hædosophia p. m. 940. ſeqq.* ad aedificationem Leſtoris adponantur.

cetur. Multa sane est bonitas, quam Deus eum reuerentibus abscondit. Ps. XXXI, 20. Dinitiis caelestibus, quas Deus suis ob meritum Christi una cum Spiritu sancto impertit, nec vidit oculus pares, nec audiuit auris, nec vlla hominis mens adsecuta est. 1 Cor. II, 9. Tanta fideles fruuntur dignitate, vt Christus ipse in iis, tamquam forte sua, exsultet: Ps. XVI, 6: praefant enim excellentia sua, quae ex adoptione oritur, caeteris mortalibus omnibus. Sanctam animi persentiscunt pacem gaudiumque in Spiritus sancti communione ineffabile. Rom. XIV, 17. Et, vt paucis omnia comprehendam, fideles sunt portio Dei, Deusque est portio eorum. Formator enim omnium Iacobi portio Ier. X, 16 adpellatur; Israel vero possessionis ipsius dicitur tribus. Num quid filii Dei amplius deesse potest? Num quid animus praeter infinitum illud bonum desiderabit? Quid vero iis non dabit Deus, quibus se ipsum dat? Felicem ergo summo iure predicamus, cuius Ichoua Deus est, quem ille sibi possidendum delegit, in cuiusque animo Spiritus sanctus, veluti testis harum praerogatiuarum, inhabitat fidelissimus ac certissimus. Ps. XXXIII, 12.

§. LVI.

III. Annuli gestatio non nisi ingenuis et manumissis olim ^{Spiritus est} erat licita, non vero spuriis neque seruis. Liberti autem in testimonium factae liberationis a manumissore eodem donabantur. Nos nascimur ut serui peccati et diaboli, et natura sumus irae filii, legisque exsæcerationibus obnoxii. Ioan. VIII, 34. Redemit nos Seruator noster, soluto diuinæ iustitiae $\lambda\acute{u}τ\acute{e}\varphi$ absolutissimo, fideque in Mediatorem nostrum ex durissima seruitute, quasi liberti, manumittimur, et in statum libertatis ex fauore summi Numinis, tamquam peculum et filii Dei, transponimur. Ioan. VIII, 36. *Nos vero vindicatos atque adoptatos esse, Spiritus sanctus nos docet, in signum libertatis nostrae a Deo nobis datus.* Vbi enim Domini Spiritus ^{est}, ibi ^{signum liber} _{tatis nostræ.}

est libertas. 2 Cor. III, 17. Spiritu sancto itaque, veluti annulo aureo, vtuntur credentes, a Deo manumissi, et ex operationibus eiusdem, quas in se sentiunt, 1) firmiter sunt persuasi, *se ex tenebrarum erectos potestate*, atque in regnum carissimi Filii Dei esse translatos. Col. I, 13. 2) *Nulla ipsis est condemnatio*; quia sunt in Christo Iesu; quod demonstrant, quum non amplius secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulent. Rom. VIII, 1. 3) Spiritum a Deo promissum adepti sunt; vnde sciunt, *se a legis exsecratione ob Christum adseritos esse*, qui pro nobis exsecratio factus est. Gal. III, 13. 14. 4) *Sunt in amore Dei*, cuius per Spiritum sanctum participes facti sunt: In caritate autem Patris caelestis *non est metus seruilis*; neque spiritum acceperunt seruitus. Perfecta potius caritas metum, habentem cruciatum, expellit, gaudentque adoptionis Spiritu Dei liberti. 1 Ioan. IV, 16. Rom. VIII, 15. 5) *Morti spirituali non amplius sunt subiecti*, lege Spiritus vitae in Iesu Christo, a peccati et mortis lege liberati. Rom. VIII, 2. 6) *Non moriuntur*. Ioan. XI, 25. 26. Nam etiam si corpus eorum moriatur propter peccatum; Rom. VIII, 10: mors tamen illa non est maledicta; siquidem aculeum suum amisit, 1 Cor. XV, 55, finisque est peccati ac miseriae, nec non transitus ad vitam aeternam. Quare 7) *damnationem post hanc vitam in futuro saeculo extimescunt nullam*, numquam, ex Christi adsertione Ioan. VIII, 51, mortem visuri, neque in iudicium venturi, c. V, 24, tamquam Dei Spiritu ob-signati ad liberationis diem. Eph. IV, 30. Spiritus enim, quo sunt ob-signati, et arrha sive pignus est haeredatis, quam firmissime exspectant. Ephef. I, 14. 15. 8) Liberati ergo fideles a peccato et tristissimis eius effectibus, Deoque mancipati, *seruiunt Christo* in nouo spiritu, Rom. VII, 6, fructumque suum percipiunt ad sanctitatem, ad quam non solum gratia Spiritus sancti inhabitante impelluntur, sed ex qua etiam intelligunt, veluti ex fructibus Spiritus, in ipsis manentis,

tis, quod vere liberti sint Dei seruique Christi, qui eos sibi subiecit, et per sceptrum roboris sui dominium suum, ad eorum unice tendens salutem, in eos clementissime exercet. 9) In hac persistunt credentes libertate, in Spiritu ambulantes, et per Spiritum carnis opera perimentes, Christoque ex Spiritus impulsu viuentes. Haec enim summa libertas est, Christo, non sibi, nec mundo, nec diabolo, viuere.

§. LVII.

IV. Sigillum et instrumentum denotat, per quod *imago* ^{Per Spiritum} *exprimitur*, et *imaginem* significat, per instrumentum ^{S. imago Dei} *expressam*. *Per Spiritum sanctum Dei imago in nobis reparatur*, ^{nobis imprimitur.} nouaeque nobis vires ad sanctimoniam conferuntur, ut *Spiritu ambulare*, vitamque voluntari diuinæ conformem degere queamus *). Intellectus hominis ψυχῆς atra obsessus est caligine, nec comprehendere potest ea, quae sunt Spiritus; quare voluntas eius neque fertur in incognita, neque apta est ad eliciendos actus, legi summi Numinis consentaneos. Omnia potius,

M

quae

*) IOANNES CROCIUS in *Comment. Epist. ad Ephes. p. 114* sequenti modo obsignationem explicat: „Obsignando imprimitur *imago* sigilli. Sic fidelibus imprimitur Spiritus sancti *imago*. Quae nam illa? Sapientia et sanctitas, cuius praecipua pars est caritas. Ea imprimitur in sanctificatione. Dum igitur iis, in quibus fides est per euangelium accensa, confertur lux sapientiae, calor caritatis, et nitor sanctimoniae, eo ipso sigillo, cordi ipsorum tamquam cerae impresso, obsignantur, adeoque tum magis et magis conformantur Spiritui, tamquam sanctitatis archetypo et sigillo imprimenti, tum discernuntur a grege diaboli, tum magis confirmantur de promissionum certitudine. Non aliter atque epistola sigillo confirmatur. Dum enim euangelium, stilo Spiritus sancti in eorum cordibus scribitur, sunt epistola Dei. 2 Cor. III, 3. At postquam facta sunt Dei epistola, obsignantur. Priori actu gignitur fides in eorum cordibus; posteriori roboratur, ut contra dubitationem omnem fortiter permanens in Dei veritate penitus adquiescat.“

quae a Deo proficiscuntur, homini naturali, gratiaque Spiritus sancti destituto, fordanter, tamquam mortuo in peccatis suis, atque a Deo eiusque Spiritu longissime sciuncto, oblationem animi sui peruersti in rebus creatis extra Deum, vel in ipsa scelerum perpetratione turpissime quaerenti, sua comoda externa pro summo fine, suaque placita pro lege habenti, nec non diaboli ita simili, ut istius atrocissimi aduersus Deum inimici speciem prae se ferat, fordanibus ipsius conspurcatus infernalibus, omnesque suas actiones ad eiusdem arbitrium, veluti captus ab ipso, dirigens. Quando vero Spiritus sanctus operationes suas hyperphysicas in homine exercere potest, tunc conformitas cum satana non solum destruitur atque aufertur, sed et nouae animo eius induntur vires, ut virtute supernaturali et omnia odio habeat peccata, et mandato diuino ex intimo voluntatis affectu sese vere praebeat obedientem. Collatio earum virium quatenus in principio spectatur, pertinet ad gratiam operantem. Est vero actio gratiae cooperantis, inhabitantis adeoque obsignantis, quatenus collatae vires conseruantur, atque augmentum in dies capiunt. Hanc ob causam credentes non tantum Christi sunt epistola, viuentis Dei Spiritu descripta; 2 Cor. III, 3; sed etiam detecta facie Domini speculantes splendorem, in eamdem transformati sunt imaginem, splendore perpetuando, tamquam a Domino, Spiritu. v. 18. Patris sui nomen in frontibus scriptum habent, Apoc. XIV, 1, et in frontibus suis, tamquam serui Dei, consignati sunt; c. VII, 3; participes facti divinae naturae, mundanamque effugientes cupiditatis corruptelam, 2 Petr. I, 4, neque polluti peccato, sed inculpati potius coram Dei solio. Apoc. XIV, 4.5. Datum est ipsis novum nomen, quod nullus nouit, nisi qui accipit, c. II, 17, et Christus ipse per Spiritum sanctum Dei sui nomen ipsis inscripsit, et nomen urbis Dei sui, itemque suum ipsius nomen nouum. c. III, 12. Mentretem etenim Christi habent, 1 Cor. II, 16,

16, animati sunt, vt Christus Iesus, Phil. II, 5, occultum mentis hominem gerunt, cum mitis et quieti animi sinceritate, quae res magni est in Dei conspectu pretii, 1 Petr. III, 4, veterem quotidie exuentes hominem cum suis actionibus, nouumque induentes, cognitione renouatum ad imaginem conditoris sui, diuinitusque conditum cum iustitia veraque pietate. Col. III, 10. Ephes. IV, 24. Sunt ergo credentes noua creatura in Christo Iesu, Gal. VI, 15, seruunt Deo *ἐν νεώρητι πνεύματος*, Rom. VII, 6, sancti sunt, sanctosque se in omni vita præbent, veluti Deus sanctus est, ad cuius imaginem sunt restaurati, quemque in tota sua vita sedulo imitantur. 1 Petr. I, 15. 16. Eph. V, 1. Vt vero summa peccato inest turpitudo, quia diabolo hominem simillimum facit: ita in sanctitate excellens deprehenditur gloria, quoniam Deo hominem reddit conformem, qui magnificus seu gloriostus in sanctitate sua appareat, Exod. XV, 11, cuiusque imago gloriam eius simul indicat, qui ad eamdem virtute Spiritus est renouatus: 1 Cor. XI, 7. Vnde et sancti, imaginem Dei accurate exprimentes, gloria Christi adpellantur, 2 Cor. VIII, 23; domus Christi, quae ex fidelibus, tamquam lapidibus vivis, consistit; cuius decus est sanctitas; Ps. XCIII, 5. 1 Petr. II, 5. Populus Christi domino suo inferuit in decoribus sanctitatis; Ps. CX, 3, nec non tota gloria est filia regis intro; Ps. XLV, 14; immo gentes vident iustitiam credentium, omnesque reges gloriam eorumdem. Ies. LXII, 2. Circa hancce sanctitatem gloriosam gratia Spiritus sancti obsignans sequenti modo versatur. 1) *Habitus infundit credentibus spirituales*, conformitatem cum Deo in ipsis conseruando, similiores eos magis magisque Deo faciendo, nec non vires supernaturales in ipsis adaugendo *). Hic operandi modus merum Dei beneficium

*) Quum obsignatio fidelium per Spiritum sanctum non sit momentanea, vt uno momento absoluatur; sed continetur et duret, ex

cium est, ad quod nos habemus ut recipientes, non vero ut cooperantes aliquid naturae viribus. 1 Thess. V, 23. 2) Ideo nos atque alacres nos facit, ut voluntati Dei ex animo sincero obtemperemus, et ex concurſu et cooperatione Spiritus vires omnes, iamiam acceptas, Deo vnicē consecremus. 1 Thess. IV, 3. 3) Foedam diaboli imaginem in quotidiana extinguit renovatione, caliginem atque rerum diuinarum ignorantiam ex intellectu expellendo, nec non voluntatis perueritatem corrīgendo et emendando, impotentiamque nostram ad queuis bona auferendo. 4) Nouas quoque confert qualitates, *in quibus Dei sita est imago*; mentis oculos illuminando, ut perfectiones diuinas Christique opes, pro nobis a Patre acceptas, modo ineffabili perlentificant; motus animi sanctiores reddendo, ut in diuitiis, a Christo ipsis donatis, exsultent, lege Dei delectentur, seque in omnibus Deo vnicē conformare vehementissime desiderent; nec non corporis membra, veluti arma iustitiae, fīstendo, ut non solum spiritus et anima, sed corpus etiam inculpate conseruetur in aduentum Domini nostri Iesu Christi, 1 Thess. V, 23, Deusque et in corpore et in spiritu eorumdem, qui sunt Dei, glorificetur, 1 Cor. VI, 20, ideoque

quo homines credunt, vsque ad finem vitae: ut res clarior euadat, contemplanda erit, tum ratione initii, tum ratione continuationis. Quando in *initio* suo spectatur, formaliter nil aliud est, quam iniūsibilis effusio Spiritus sancti in corda fidelium, ad habitandum in iis gratiole, confirmandumque magis magisque in fide, et sanctificandum in pietate vitae. - - Quando vero obſignatio in *continuatione* ad finem vsque vitae consideratur, formaliter consistit in ipsa operosa Spiritus sancti in cordibus fidelium inhabitatione, efficaci in fide confirmatione, et in vita sanctificatione, iuxta salutis ordinem, vsque ad finem vitae, haereditatisque possessionem. Ita namque obſignantur fideles per Spiritum promissionis sanctum, ut sit sigillum atque arrhabo haereditatis noſtræ ſemper vsque in redētionem possessionis. Conf. S.E.B. SCHMIDII *Difſ. de obſignatione fidelium interna.* Sect. II. §. 10.

ideoque integer homo sanctificetur, quo omnes suas actiones ad Dei vnicę dirigat voluntatem. Hac itaque ratione Deus et cor nouum et spiritum nouum in pectora nobis dat, atque, exemplo de corporibus nostris lapideo corde, dat carneum cor, datoque in pectora nostra Spiritu suo, facit, vt institutis eius pareramus eiusque mandata, conseruemus. Ezech. XXXVI, 26.
 27. *) 5) Habemus quoque ex sanctimonia nostra *criteria veritissima*, vt nostrae nobis a Deo electionis aeternae, vocacionis internae, et fidei ac communionis cum Christo consciū simus; 2 Petr. I, 10; vtque in inoffensae testimonio conscientiae, atque animi tranquillitate exsultemus; 2 Cor. I, 12; **) nec non vt hac via, ad aeternam contendentes gloriam,

M 3 securi

*) IGNATIVS, sanctissimus Christi martyr, Romanos *in epistola, ad eisdem scripta, obsecrat, id ipsi a Deo ut precibus obtineant, vt non tam nomine, quam re ipfa potius sit Christianus. Μένον, inquit, δύναμιν αἰτεῖσθε μοι ἔσωθέν τε καὶ ἔχασθε, ἵνα μὴ μόνον λέγω, ἀλλα καὶ θέλω, ὅπως μὴ μόνον λέγωμαι Χριστιανός, ἀλλα καὶ ἔνεγκω, ἐὰν γάρ ἔνεγκω, καὶ λέγοθεν δύναμα. Solum mibi potentiam petatis ab intra et ab extra, ut non solum dicam, sed et velim; non ut solum dicar Christianus, sed et inueniar: quam enim inueniar, tunc et dici possim.*

**) Quum audire tibi contigerit de communicatione cum sponsa, de echois, de cantu et festis, nihil materiale aut terrenum cogitaueris. Etenim in exemplum dūntaxat per condescensionēm haec adsumuntur. Quoniam illa, quae his designantur, spiritualia et oculis carnis incognita sunt. Animae vero sanctae ac fideli sub comprehensio- ne veniunt et ipsa communicatio sancti Spiritus, et supercaelestes thesauri, chori ac festa sanctorum angelorum. Quin ista tantum homini manifesta sunt, qui experimentum eorum ceperit; non introductus autem in haec adyta, nec qualecumque talium formare ideam potest. Reuerenter igitur de huiusmodi rebus audi, quoad tibi contingat credenti, vt dignus habearis fruitione tantarum rerum. Et tunc scies ipsa experientia oculorum animae, qualium bonorum animae Christianorum fieri compotes queant. MACARIUS de caritate Cap. XIII. p. 154.

securi ac intrepidi omni tempore esse queamus. Ps. XXVII,
2. 3.

§. LVIII.

Spiritu signa-
mūr, tam-
quam Dei pe-
culium.

V. Sanctificati Spiritu signantur, tamquam peculium Dei seruique Christi, sub vexillo eiusdem militantes *). Quare et ob-signatio et donatio arrhae ἐις ἀπολύτρωσιν τῆς περιποίησεως tendere dicitur Ephes. I, 14. Christus semet ipsum pro nobis dedit, quo nos ab omni scelere vindicaret, et sibi λαὸν περιέστοι, populum peculiarem, purgaret, recte factorum cupidum. Tit. II, 14. Fide in Christum genus lectum sumus, regale sacerdotium, sancta gens, λαὸς ἐις περιπόνων, populus in possessionem, Christi sanguine adquisitus, quem sibi Deus, ut proprium seu peculium, vindicat. 1 Petr. II, 9. Ut vero et nobis et aliis constet, nos omnino populum Dei esse, hacque vere frui dignitate, ideo Deus nos Spiritu suo ob-signavit, eoque, veluti criterio inuiolabili, notauit, nec non in spem viuam futurae haereditatis confirmauit. Redempti enim, iustificati et sanctificati sunt credentes ad asseruationem siue conseruationem, et veluti pleno redēctionis effectu donandi, tamquam Deo adquisiti ac lucrificati *). Signantur itaque credentes,

D) vt

*) Olim Romani milites, VEGETIO teste, de re mil. Libr. II. Cap. V, victuris in cuto punctis scripti, quum matriculis inferebantur, iurare solebant: vnde in lege Mauritii, in manu signati, periphrasis militum est. Nam σηματά ἐσι τῶν σφετερομένων ἐν ταῖς χερσὶ, puncturae militum sunt in manibus, ait AELIANVS. Hoc ipsum CHRYSOSTOMVS σφετερῆδε τὰ σφετερά, sigillum militis, vocat ad Rom. IV, II. Vide GROTIUM ad Apocal. XIII, 16. Conf. HERMANNVS WITSIVS de Oeconomia Foederum Dei cum hominibus, Lib. III. Cap. XII, p. m. 445.

**) Non male GROTIUM obseruasse iudico, περιέστοι a περιέσται de riuitum esse, quod praestare significat; vnde περιέστοι idem est, quod ἔξωχος, eximius; et περιέσται significat abundantiam. Quo sensu CLEMENS ALEXANDRINVS in admon. ad gentes p. 5, co-
cabulo

¶ ut in peculium a Deo recepti, eiusque filii agniti. Quicumque enim Christum acceperunt, iis non solum potestatem det,

cabulo vtitur, μισθὸν ἡμῖν, inquiens, τῆς μαθήσεως, ἐκ περιστάσιας, Βασιλεὺς ἐρενῶν, ἐπαγγέλλεται. Eundem significatum de MOSTHENES et POLYBIUS adhibent, quorum testimonia legi possunt in HERMANNI WITSII *Oeconomia foederum Dei cum hominibus*, *Libr. III. Cap. XII. §. VII. p. 444.* Sunt ergo pii eximia Dei possessio, quam sibi vindicat, conseruat, et in qua se ostentat, ut corona ornata et cidari regia, Ies. LXII, 3, quam pro diuitiis suis habet, et alterius esse non patitur. Conf. IOAN-
NIS GERHARDI *Comment. in i. Petr. II. 9.* Deus promittit Exod. XIX, 5, Israelitas ipsi peculium fore prae omnibus aliis populis. In hebreo extat לִסְגָּלָה וַיֹּוֹתֶרֶת Vocabulo סְגָלָה vox latina, *sigillum*, adfinis est, adeo, ut significet rem, quam quis impresto figillo suo suam esse declarat, et talem quidem, vnde homines regesque ipsi, diuites censemur, et qua magnificentiam suam ostendunt. Eccl. II, 8. Ita elegit Deus populum suum לִסְגָּלָתוֹ in thesauro sibi adseruandos. Ps. CXXXV,
4. Conf. HERMANNVS WITSIVS l. c. Quare Paulus Eph., I, 14 credentes ita adloquitur: ἐσθρηγιοθητε εἰς περιπόνους, hoc est, vt reponamini et adseruemini, tamquam res propria, ad gloriam Dei facta, et a populis, nationibus, linguis emta. Non potest explicari *ad redimendum*, quia in Christo habemus redemtionem. v. 7. Ergo potius ἀπολύτρωσι sumus, hoc est, emti pretio: quamquam et ἀπολύτρωσι exspectamus, Rom. VIII, 23, hoc est, effectum et fructum redemtionis. Eph. IV, 30 dicit apostolus: ἐσθρηγιοθητε εἰς ἡμέαν ἀπολυτρόπεως, in diem, quo plena libertas, et id, pro quo pretium datum est, repreäsentabitur, Possemus et verba c. I, 14 ita explicare: signati effisi, vt redimmini, tamquam adquisisti ac emti. CHRYSOSTOMVS intelligit resuscitationem corporis, quia tum fiet ἡ καθαρὰ ἀπολύτρωσι, non nono pretio dato, sed pretii dati pleno effectu, τῇ ἀπολύτρωσισθαι τὴν περιπόνους αὐτῆς. OECVMENIVS ita exprimit: περιπόνους ἡμῶν καλέει διὰ τὸ περιποίησισθαι ἡμᾶς τὸν Θεόν. Vocab nos περιπόνους, quia Deus nos adquisiuit. Vid. IOAN-

NJS

dit, vt Dei filii fierent, Ioan. I, 12; sed Deus etiam signauit eos Spiritu suo, tamquam seruos suos, in frontibus eorum: quia efficacia diuina, animis ipsorum per Spiritum sanctum impressa, publica fere exserit confessione, nec non vita sancta atque inculpata, ita, vt ab omnibus cognosci possint, Deo illos mancipatos esse, nomen ipsius in frontibus suis praefrentes, Apocal. VII, 2. 3. c. XIV, 1. 2) Per sigillum Spiritus, animis fidelium impressum, unumquemque sacram ita Deus adloquitur: *Tu, serue mi, quem elegi, amice mi, tu, quem adscirum et euocatum meum pronunciaui, et non repudiaturus elegi, ego tibi adsum, ego Deus tuus, ne metue, ne remolleſce, corroboro te, iuuu te, dextra mea te fulcio.* Ief. XLI, 9. 10. 3) Optime ergo Deus omniscius suos obſignatos habet cognitos, et quidem cum affectu paterno intimo. Palmis suis eos impressit, Ief. XLIX, 16, nec umquam eorum obliuiscetur, v. 15, intentos in iustos habet oculos et aures ad eorum implorationem, Pl. XXXIV, 16, viam bonorum cognoscit, Pl. I, 6, suas oves Christus nominatim adpellat, Ioan. X, 3, agnoscit eas, vt ipsum nouit Pater, v. 14. 15. Firmum itaque Dei fundamentum perficit, hoc habens sigillum: nouit Dominus, qui sunt sui, atque ab omni recedat iniustitia, quisquis nominat Christi nomen. 2 Tim. II, 19. *) Hocce figillo
ab

NIS COCCEII Oper. Tom. IV. p. 1032. Chaldaeus redditit verba Exod. XIX, 5: eritis mihi dilecti, quia res pretiosae et theſauri ſolent eſſe cari. THEODOSIUS et SYMMACHVS verte- runt λαὸς ἐξαρχετος. LYRANVS autem, eritis mihi amicabilis: et PAGINIVS, eritis mihi tamquam theſaurus dilectus, ve- lut pretiosum aliquod κειμήλιον, quod magni aestimatur et diligenter adulueratur. Conf. Deuter. VII, 6. XIV, 2. XXVI, 18. Mal. III, 17. Act. XX, 28. 1 Theſſ. V, 9. 2 Theſſ. II, 14. Vid. 10.
ANNES GERHARDVS l. c.

*) CHRYSOSTOMVS per solidum' Dei fundamentum intelligit τὰς σημεῖας ψυχὰς, αἵτινες ἐστίκασται πεπονημέναι καὶ ἀνίγνωται, animas ſolidas.

ab omnibus aliis hominibus Dei serui distinguuntur, ex eoque conspici potest, eos Domino suo caelesti vere consecratos esse. Sunt Deo suo sancti, quia discernit eos a reliquis populis, ut sint ipsius. Leu. XX, 26. Exierunt e medio malorum et separati sunt, nec impurum attingunt; Deus enim eos ut peculium suum exceptit, ipsisque pater est, hi vero ipsi sunt filii filiaeque. 2 Cor. VI, 17. 18. 5) Certiores denique hoc criterio diuino fideles facti sunt, Deum curam ipsorum habere paternam maternamque, eosque ab infidiis hostiis tutos conferbare et custodire. Militant enim sub vexillo Christi. Perseuerantia ipsis ad ultimum vitae halitum maximopere est necessaria, quo victores regnum ingrediantur caeleste. Magna vero eorum est imbecillitas, totque circumscripti sunt hostibus, ut facilime labantur et in praecipitia ruant. Quum autem Spiritu roboris sint obsignati, gratia diuina iis succurrit, ut fides stabiliatur, ut onere afflictionum pressi erigantur, ut viribus supernaturalibus aduersus hostium tentationes praemuniantur, ut nullum in via salutis damnum capiant, ut tandem victores

eu-

solidas, quae firmae et immobiles stant. Hanc firmitatem non habent fideles a se ipsis, sed a Dei sigillo. Cuius sigilli usus hic duplex proponitur. I. Signare electos, ut eos, qui Deo noti et dilecti sunt, et quibus ut peculio suo, quod carum habet et seruat, notas, dominii ac proprietatis suae testes, impressit. De eo dicitur: nouit Dominus, qui sui sunt. II. Imprimere isdem similitudinem eius sanctitatis, quae in sigillo, id est, in Spiritu sancto est; per quam sit, ut ipsi sibi sollicite ab iniustitate et defectione caueant. Huc spectat: abscedat ab iniustitia, quisquis nominat nomen Christi. Nam qui in corde suo gerit hanc legem ei inscriptam, et legem propriam cordis factam, quam sibi ipsi identidem dicit, is, ut ex eo scire potest, se electum et dilectum Dei esse, ita etiam curate se Deo, cuius est, custodit. Vid. HERMANNVS WITSIVS de Oeconomia Fœd. Dei cum hom. Lib. III. c. XIII. §. XXXVI. p. 519. seq.

N

euadant in omnem aeternitatem triumphantes. Diuina enim
 potentia per fidem custodiunt ad salutem, vltimo tempore
 exhibendam. 1 Petr. I, 5. Diuina pax, cuius per Christum
 participes et per Spiritum sanctum certiores facti sunt, quae-
 que omnem mentem exsuperat, animos et cogitationes eo-
 rum in Christo Iesu custodit. Phil. IV, 7. Conf. Matth. X,
 30. Zach. II, 8. Mal. III, 17. Ies. LVI, 10. Ezech. IX, 4. seqq.
 6) Sequitur exinde, vt obſignati, de sua perſuerantia ex
Dei gratia certissime persuasi, et ex fruitione bonorum caeleſtium in communione cum Christo multos in ſanctimonia facientes progreſſus, laeti bonoque animo ſecuri, nullos horum eallidifimorum ac crudeliffimorum iuulfus extimescant, ſed, ſuſulti potius Spiritus robore efficacissimo, intrepide exclamat: Quis nos diuellat ab amore Dei? In omnibus aduersis exſuperamus per eum, qui nos adamauit. Rom. VIII, 34. 37. Christus enim eos, tamquam oues suas, Spiritu ſuo obſignatas, nouit, iisque vitam dat ſempiternam; nec poſſunt hoc modo
 vñquam perire, nec Christo quisquam eos de manu erupturus eſt, nec ex manu Patris, qui maximus eſt omnium, quique eos ut pecu-
 lium ſuum notauit, quisquam eos potheſt extorquere. Ioan. X,
 28. 29. Conf. Matth. XVI, 18. Ioan. VI, 39. Pl. XXXVII, 28.
 XCVII, 10. Sap. III, 6. 7. Christus ipſe, ſponsus fuorum caeleſtis, credentes, tamquam ſponsam ſuum, fontem adpel-
 lat signatum, Cant. IV, 12: quoniam eam vult inniolabilem eſſe, omnibus paeclufas inimicis, atque ope diuina diligenter cuſtoditam. Signatio ergo fontis tutelam Dei indicat omni-
 potentis, qui Christo addictos paterne agnoscit, paterno pro-
 fequitur amore, paternamque eorum gerit curam. Hac freti
 ſummi Numinis tutela, ferui Dei, in familiam diuinam rece-
 pti, et signaculo Spiritus ſancti adornati, prouidentiamque
 Patris altissimi per totam hucusque experti vitam, grato pro-
 fitentur animo: O quam multa ſunt bona tua, quae tui me-
 tuentibus recondidisti, quibus tibi confidentes adficiſ coram
 humano

humano genere! Tu eos in tui conspectus latebra subtrahis hominum importunitatibus, eos quasi tegumento protegens a linguarum iurgiis. Gratias ago tibi, Domine, qui tua in me clementia mirifice vsus sis, in vrbe munita. Pl. XXXI, 22. 23. Hoc modo vita adoptatorum a Patre, Spirituque eius obsignatorum cum Christo latet apud Deum. Quum vero Christus, vita eorum, patefiet, tunc illi quoque vna cum Christo patefient gloriosi. Col. III, 3. 4. *)

§. LIX.

VI. *Signaculo Spiritus aeterni testamenti benignissimi sapientissimi, potentissimique Dei credentibus confirmantur promissiones**).* Spiritus in nobis promissa divina confirmat. Quam ob causam Spiritus obsignans ac sigillum promissionis Spiritus nominatur Eph. I, 13. Namque non solum a Deo promissus est; sed etiam promissiones euangelicas patefacit, omnibus offert, confert credentibus, eorumdem inscribit animis, atque inscriptas figillo suo munit, quin immo ipse est sigillum, quo fideles obsignantur et de impletione promissionum diuinorum certiores redduntur. Stupenda neque satis admiranda hoc in negotio sese manifestat Dei nostri indulgentissimi clementia. Ab omni aeternitate gratiae bona ob sponsorem nostrum

*) Conf. ven. D. IO. GEORG. KNAPPPI, *Fautoris et Amici mei omni obseruantia colendi*, Dissert. III. de Persuerantia credentium usque ad finem.

**) Quemadmodum in contractibus et commerciis, quas alii nobis litteras obsignarunt, in iis acquiescimus, iis confidimus; et in quibus nos immoti stare et evictionem praestare suscipimus; in quibus volumus, vt alii nobis tuto confidant, ea obsignare sollemus: sic promissiones suas Deus sigillis stabiluit; nostra conscientia Deo fidem firmat per fiducialem in verbo Dei acquiescentiam, et sancte recipit, se credituram, quidquid Deus per Filium promisit, nec diuinam veritatem per infidelitatem eleuatoram, quidquid contra obiiciant satanas, mundus, caro, experientia. DANNHAVERVS Disputat. Theolog. Part. I. Disp. XVI.

strum Deus nobis destinauit; pollicitus est eadem patribus ante reuelationem scriptam; consignauit illa per Spiritum suum inuiolabilibus vtriusque testamenti litteris; scriptum testimonium manibus nostris dedit, vt legere illud, contemplari ac meditari possimus; iurauit quoque, se promissa seruatrum; fidem in nobis excitat, qua promissiones saluberrimas adprehendamus; applicat easdem animis nostris, immo inscribit, atque in iisdem digito suo omnipotenti caelat. Sed nec illa benevolentiae diuinae signa sufficiunt luculentissima; litteras quoque suas, ad nos in verbo suo datas, et promissiones suas, nobis iamiam applicatas, per Spiritum sanctum in nobis ob-signat: vt de voluntate ipsius erga nos beneuola minime dubitare debeamus. Promittit itaque Deus, vt fidem verbis habeamus veracissimis. Si promissio in alienatis a Dei vita, propter ignorantiam et obdurationem animi, fidem producere haud valet, iurauit Deus; vt, si promittenti non credimus, saltem pro salute nostra iuranti credamus*). Si vero adhuc in hac re ardua animo nostro fluctuamus, fidemque pleniorum Deo promittenti et iuranti denegamus, addit Deus sigillum suum sanctissimum, quo omnis cessa dubitatio, et πληροφορίαν πίστεως animum nostrum occupet, nosque impellat, vt μετὰ παρένθεται ad gratiae solium accedamus, plenaque fide aditum habeamus ad Deum nostrum clementissimum, qui, mentiri nescius, omnia certissime implebit promissa, quae Spiritu suo, tamquam πνεύματι αληθείᾳ, testeque veraci atque omni exceptione maiore, ob-signauit: præsertim quum promissio ipsius firmissima sit, non ob merita nostra, quae plane nulla sunt, sed ob illius misericordiam et ob redemtionem Sponsoris nostri, nostro loco suscepitam absolutamque. Absit itaque omnis animi trepidatio omnisque metus anxius et seruilis. Deum habemus veracissimum, veracissime promittentem, serio iurantem, firmiterque promissa sua ob-signantem. Quis am-

plius

*) *O beatos! quorum causa Deus iurat. O nos miseris! si ne iuranti quidem credimus.* TERTULLIANVS.

plius dubitare vellet? Obsignatio sane omne dubitandi genus expellit, animumque fidelium firmum facit atque confirmat nos, omnes Dei promissiones tales esse, vt in ipso sint etiam, et in ipso sint amen, sive ita, ad Dei gloriam, qui nos confirmat, et vunctione, et obsignatione, et donatione arrhae, nempe Spiritu suo, veluti vnguento, sigillo atque arrhabone nostro. 2 Cor. I, 21. 22. *) Ingens ex hoc beneficio resultat fidelium praerogativa. Namque 1) Spiritus sanctus effunditur in eos, tamquam *Spiritus gratiae et precum*. Zach. XII, 10. Datur non solum Spiritus ex gratia nosque ob Christum Deo gratos facit; sed et testatur de fauore Dei erga nos, nec non in nobis operatur, vt dona diuina gratuita cum dulcissima animi voluptate sentiamus, et ex sensatione eiusdem impellantur, vt cum Deo nostro loquamur, veluti cum patre benignissimo, in omnibusque illius opem fidenter imploremus eamque certissime obtineamus. 2) Ad possessionem veram ac fruitionem suauissimam honorum euangelicorum filios Dei perducit, adPLICANDO

N 3

ipfis

*) *Sigillo munire*, inquit SALOMO GLASSIUS Rhet. S. libr. V. Tr. I. Can. VII, seu obsignare dicitur Deus, cum homines praeccludit quasi, et prohibet, ne operentur; Iob. XXXVII, 17; cum amoris, praefantiae et auctoritatis concessae documenta edit; Ioan. VI, 27; cum pios in veritate et pietate confirmat et conservat, 2 Cor. I, 22, sicut homines, quae rata facere et confirmare volunt, signum iis imprimitur. Quibus respondent, quae MARTINVS CHEMNITIVS Loc. Theol. Part. II. p. 276 protulit hoc modo: *Obsignatio extra omnem controversiam iis adhibetur, quae volumus alii, ad quos illa pertinet, indubitata et quam certissima esse.* Et usus eius est, non ut dubia et incerta reddantur ea, quae obsignantur, sed ut omnis dubitatio et hacstatio, quaecunque posset incidere, per obsignationem renoueatur. - - - Deus propter hanc caussam adhibuit obsignationem Spiritus, quia nouit pigmentum nostrum, quod naturaliter dubitatio haeret in animis nostris. Illam certe non voluit probare vel confirmare, quando adhibuit obsignationem, et quidem pretiosissimam, nempe per ipsum Spiritum sanctum. Hacc sunt illusoria et firma.

ipsis specialissime beneficia diuina, atque excitando in ipsis fidem saluificam, per quam cum Christo vniuntur, in communione cum ipso seruantur, omniumque benedictionum caelestium participes redduntur. Vnicuique enim affecto et moerore animi ob peccata commissa affecto non solum adclamat: confide, fili, remissa sunt tibi peccata tua; Matth. IX, 2; sed omnes etiam laborantes atque onustos ex Christo, salutis fonte, vere recreat, ut blandissimam inueniant ac sentiant requietem. c. XI, 28. 29. Praeparat animos, Christo deditos, ut vasa gratiae, suamque opulentam gratiam in ea declarat, ut ad omnem plenitudinem Dei impleantur, omnique bonitate diuina saturentur. Rom. IX, 23. Eph. III, 19. Ier. XXXI, 14. Atque ut omnibus adpareat, quantum hac in re differminis sit inter fideles et incredulos, eos, qui clamanti Deo non responderunt, Deum loquentem non audierunt, et, quod Deo displicet, fecerunt, idque, quo Deus non delectatur, elegerunt, hoc modo adloquitur: Ecce, serui mei comedent, vos autem esurietis; ecce, serui mei bibent, vos autem sitiatis; ecce, serui mei laetabuntur, vos autem erubescetis; ecce, serui mei canent prae hilaritate animi, vos autem clamabitis prae dolore animi, et prae contritione spiritus eiulabitis. Ies. LXV, 12. 13. 14. Sunt enim increduli absque Christo, abalienati a statu Israels spiritualis, et extranei, quod ad pactorum promissiones attinet, spem nullam habentes, Deique expertes in mundo. Eph. II, 12. Credentes autem semen Dei electum sunt, ad quos felicitas omnigena peruenit per Christum Iesum, promissumque Spiritus adipiscuntur per fidem, Gal. III, 13, ut gustent et videant, quam bonus sit Iehoua, quamque felix sit homo, qui ei confidit. Ps. XXXIV, 9. 3) Admonentur praecipue credentes et per sigillum Spiritus confirmantur, quod Dei fruantur prouidentia specialissima, eaque veretur circa minutissima. Promisit Deus: erudiam te, et qua via tibi sit eundum, ostendam, tibi oculo
meo

meò consulens; Ps. XXXII, 8; et iterum pollicitus est Dominus omnipotens: non deferam te, neque derelinquam. Hebr. XIII, 5. Quum itaque in Dei sanctuarium precibus suis ingrediuntur, Ps. LXXIII, 17, Spirituque Dei fortiter fastentantur, neque dubium de impletione promissorum diuinorum in animis remanet; tunc sedata ac tranquilla mente confitentur. Tecum, o Deus, iugiter futurus sum, comprehendisti manum meam dexteram; tuo ergo consilio me ducas, ut tandem in gloriam me recipias. Ps. LXXIII, 23. 24. Certissime quoque ex interno Spiritus sancti testimonio sunt persuasi, Dei amantibus omnia ad bonum conferre, qui diuino decreto sunt vocati, nec non sigillo Spiritus obsignati. Rom. VIII, 28. Quid ergo mirandum supereft, quod sigillo diuino praediti in omnibus viis Deo vnice se commendent et tradant, quum eos non fugiat, Patris caelestis prouidentiam cuncta gubernare, Sap. XIV, 3, eorumque capillos capitis omnes numeratos esse? Matth. X, 30. 4) Inprimis vero obsignat Spiritus in credentibus *testimonium de Christo*, testisque in ipsis veracissimus est omnia bonorum, quibus a Christo largiter donantur. Ad hunc finem a Patre proficiscitur, a Filio Dei mittitur, ipseque Spiritus venit, vt de Christo testetur, Ioan. XV, 26, eumque glorificet. c. XVI, 14. Testatur autem de Christo, tamquam ipsa οὐντεια, et τῆς οὐντειας πνεῦμα, eum esse Filium Dei, verumque Messiam, qui adsumta humana natura totum genus humanum redemerit, eumque ad nos et aqua et sanguine venire, vt vera eum fide recipiamus, a peccati sorribus mundemur, Deo grati acceptique reddamur, eiusque efficacia mundum vincere et promte velimus et valide possimus. Hoc testatur Spiritus non solum externe in verbo suo, sed etiam interne in animis credentium, fidem, fideique victoriam in ipsis augens atque obsignans. 1 Ioan. V, 6. Quare Paulus de semet ipso adfirmat, Gal. I, 16, quod Pater Filium suum in ipso, per Spiritum sanctum nempe, patefecerit, Christusque in

in precibus suis, ad Patrem directis, testimonium discipulis suis perhibet, quod ipse in illis sit glorificatus. Ioan. XVII, 10. Hocce de Christo Spiritus sancti testimonium non nisi ab hominis, vera fide praediti, spiritu recte percipitur, nec quisquam solidam, viuam et salutarem de Iesu Christo, Mediatore unico, conuictionem habere potest, nisi qui testificationem Spiritus sancti in salutis ordine intra animum suum recte admittit. Hac praerogativa vere credentes tantummodo gaudent, qui a Spiritu sancto, veritatis teste, cum verbo scripto efficacissime concurrente, veram Christi rerumque diuinarum cognitionem sibi instillari sinunt. Hi enim sunt *Theodantes*, Ioan. VI, 45, et, a sancto vincit, et per sanctum obsignati, novverunt omnia; neque ipsis opus est, ut quisquam eos doceat, quippe quum vincio, quacum obsignatio coniuncta est, eos cuncta doceat, veraque ea sit, et falsitatis expers. 1 Ioan. II, 20. 27. Conf. Ier. XXXI, 33. 34. Ducuntur enim a Spiritu veritatis in omnem veritatem. Ioan. XVI, 13. Vnde contumelio interna de doctrinis reuelatis oritur*), Christusque cruci adfixus ab iis agnoscitur, tamquam Dei potentia Deique sapientia.

* Inter argumenta, quibus, tamquam principiis cognoscendi, ad probandam scripturae sacrae auctoritatem diuinam vtimur, externo ecclesiae testimonio adjungi possunt aliae circumstantiae; item, motiva quaedam interna, petita ex aliquibus scripturae proprietatibus: verum haud pertingunt talia ad diuinam fidem gignendam, nisi ipso conscientiae viu experiamur ἐνέργεια Spiritus sancti, e verbo testantis intra animum nostrum. Si quis neget, se istam posse agnoscere; huic respondet ipse Dominus Ioan. V, 40. VII, 17. Vid. IOACH. IVST. BREITHAVPT Institut. Theol. Tom. II. p. 322. Θεοτυπία verbi diuinī creditur propter adducta οὐτησία externa fide tantum humana: accedente autem confirmatione Spiritus sancti, qui mediantibus internis οὐτησίis obsignat hanc fidem in singulis fidelibus, fit deum fides diuina. Vid. IO. HÜLSEMANNI Vindic. Scripturæ sacrae p. 218.

pientia. 1 Cor. I, 24. Experiuntur in se verba Christi, quod
sint spiritus, et vita sint; quia Spiritus eadem viuificat. Ioan.
VI, 63. Quare numquam a Christo se dimoueri patiuntur.
Sentiunt ex Christo laetitiam in Spiritu sancto, Rom. XIV, 17,
implentur omni gaudio et pace, ut spe abundant per virtutem
Spiritus sancti, c. XV, 13, norunt, cui crediderint, et
iphis persuasum est, Iesum Christum depositum ipsorum in di-
em extremum custodire. 2 Tim. I, 12. In omnibus itaque
tentationibus vexationibusque mentem suam firmumque suum
propositum erga Seruatorem suum dilectissimum, in iphisque
illustratum, ita cum discipulis eius declarant: Domine, ad
quem abeamus? tu aeternae vitae verba habes, et nos credi-
mus et nouimus, te esse Christum, viuentis Dei Filium, a
quo omnis nostra vera salus vincere dependet. Ioan. VI, 68. 69.
5) Oritur hinc in creditibus *experientia spiritualis*. Quem-
admodum in verbo diuino scriptum legunt; ita per Spiritum
Dei in animis suis sentiunt. Replentur enim voluntatis Dei
cognitione cum omni sapientia, prudentiaque diuina, excel-
lunt quoque caritate magis magisque in cognitione omnique
senſu, seu perspicientia, ut praestabilia adprobent, atque ita
se gerant, quemadmodum Deo dignum est, ut ei omnino
placeant, in omnibus recte factis fructum ferentes, et in Dei
cognitione salutari crescentes. Phil. I, 9. 10. Col. I, 9. 10.
Spiritualis haecce experientia mediante verbo scripto in fidel-
ibus existit, ad normam codicis sacri semper examinanda est,
nec tantum dulcedinem quandam sensibus externis adfert, sed
internam potius promovet animi tranquillitatem, nec non
vires, a Deo in regeneratione nobis concessas, adauget, qui-
bus instructis haud leues in via sanctimoniae facimus pro-
gressus *). Vera itaque ac diuina praediti experientia, Deo
promit-

*) Experientia haec bifariam diuina est: tum quatenus efficitur a
Spiritui sancto; tum quatenus cognoscitur ex verbo Dei talis, qua-
leim
O

promittenti, iuranti atque obſignantि, laeti respondent, et teſte conscientia in Spiritu ſancto vere iurant, immo hilari conſitentes mente et iſpi actiue obſignant: In Iehoua tantummodo nobis omnis iuſtitia eſt, et robur. Ief. XLV, 24. Ex iuſtitia Iehouae, iſpis imputata, omnis animi oblectatio fluit, et ex robore diuino fructibus iuſtitiae replentur, qui per Ieſum Chriſtum ad gloriam laudemque Dei pertinent. Phil. I, II. Guitus ergo diuini fauoris, quo recreantur atque exhilarantur obſignati, a potentia diuina, qua iidem ad oīne recte factum bene comparantur atque excitantur, diuelli nequaquam potest*) ; ambo potius bona nexus arctissimo coniuncta sunt, atque hypocritica eſt delectatio, ſi ſanctum et indefeſum ſtudium, Deo inſeruandi, totamque vitam legi diuinae confor- mem rite inſtituendi, non accedat. Qui namque Spiritus ſanctus promiſſiones diuinas obſignando in credentibus implet, idem quoque eos ad quaevis officiorum genera ſedulo preeſta, efficaciter impellit. Vnius itaque poſitio non eſt alterius excludo: immo vitae ſanctimonias veriſimile teſtatur de gaudio diuino, quod promiſſiones diuinae, fide acceptae ſpiritu- que conſirmatae, in credentibus gignunt. Quam enim De- us per euangelii ſuauitatem animos ſuorum dilatauerit,

tunc

leſ oportet eſſe. Ita ratione ſuae efficientiae reſoluitur in operationem Spiritus ſancti, ratione vero noſtiae, determinata infaſillibilitate certae, reſoluitur in ſcripturam ſacram, vnde re- cognitio et examen tum iſpiſ experientiae, tum rerum, circa quas illa experientia verſatur, depromi potest ac debet. HOEPF- NERVUS de iuſtiſ. Disp. VIII. c. I. Aphor. III. §. 15.

*) Si pro donis debemus Deo gratiarum actionem, ſecundum normam verbi diuini, quomodo gratias rite, et, vt verbum Dei poſtulat, agemus, niſi gratioſa et gratuita illa dona nos habere, certitudine diuina prius cognoscamus? HOEPFNERVS IDEM Disp. VI. c. II.

tunc viam praeceptorum eius illico percurrunt. Ps. CXIX,
32. *)

§. LX.

VII. Ex prolatis facile adparet, *credentes de statu suo gratiae firmiter persuasos esse*; qua certitudine ex Spiritu sancti obsignatione gaudent. Scιunt enim, se a Deo esse, 1 Ioan. persuasi.

Credentes de
statu gratiae
firmiter sunt.

V, 19, Deumque in ipsis manere, seque in Deo; quoniam Spiritu suo Deus sibi fide addictos donauit. 1 Ioan. III, 24. Nolo impraesentiarum omnes repetere rationes, quibus certitudo credentium de statu suo gratioſo euinci posſit; ſed ad vnum tantummodo locum prouoco classicum, omnia hac in re dubia tollentem ex animo, et in veritate orthodoxa, quam ecclēſia noſtra contra aduersarios noſtrōs tuetur, nosmet ſtabilientem, corroborantem nec non confirmantem. De adoptionis Spiritu, qui nos clamare facit: Abba, Pater! Paulus adfirmat Rom. VIII, 16, quod una teſtetur cum ſpiritu noſtro, noſi effe filios Dei. Duobus ergo teſtib⁹ credentes vtuntur. Alter eſt ſpiritus eorumdem, alter vero Spiritus sanctus. Vterque teſtatur, quod ſint filii Dei; vnde firmiffima persuasio de adoptione eorumdem in familiam Dei oritur. Vtriusque testimonium effectus eſt obſignationis, quam a Deo, Patre benignissimo, habent. Spiritus eorumdem eſt animus illuminatus et ſanctificatus, cui imago diuina impressa eſt. Spiritus sanctus, tamquam ſigillum gratiae, in ipsis habitat, quo ad certitudinem fidei et ad confirmationem in statu gratiae a Deo ſunt donati. Vterque teſtis ad vnum idemque conſpirat teſti-

O 2 moni-

*) Discutiant ſeſe fideliū mentes, et intīmos cordis ſuī affectus vera examinatione diiudicent, vt, ſi depositum aliquid in conscientiis ſuīs de fructibus caritatis inuenierint, Deum in ſe eſſe non dubitant. LEO Serm. II. de Pasch. Nemo interroget hominem; redeat ad cor ſuum: ſi ibi inuenit caritatem, fecurus ſit, quia tranſit a morte ad vitam. AVGVSTINVS Tract. V. in epif. Ioan.

monium, quo adoptionis suae fideles certiores fiunt. Testimonium vtriusque a se inuicem separari ac diuelli nequaquam potest. Ne habemus quidem spiritum, seu vires supernaturales, si Spiritus sancti gratia inhabitante non praediti sumus. Iud. v. 19. Nec Spiritus sanctus in nobis est, si lumine diuino et virtute caelesti caremus. Gal. V, 22. Licet autem vtriusque spiritus testimonium idem sit, eundemque habeat finem, nec non harmonia arctissima inter se collineat, attamen suo quodque modo, gradu et ordine seorsim considerari potest *).

Spiritus

* Animus hominis est instar tabulae, in qua certa quedam veritas, testimonii firmata vel firmanda, conscripta est. Veritas illa est doctrina euangelii. Testes, qui eam signarunt, sunt Christus ipse, Christi Pater, opera et miracula Christi, eiusque casus notabiliores mortis, resurrectionis et ascensus in caelum, a prophetis praenunciati: tum deinde apostoli, euangelistae, et totus chorus doctrinorum noui foederis. Sic scripta, sic signata est haec tabula, sed nondum confirmata. Illa autem confirmatio in credente duplicit modo concipi potest fieri: vel ab ipso, ut iudice divini testimonii, per conscientiam, vel a Spiritu sancto, per charismata et dona gratiae in nomine testimonium edente de veritate doctrinae illius, tot testibus confirmatae. Prius hac ratione peragitur. Audit homo et percipit hoc dictum: Christum esse Sospitatorem mundi. Id animo ipsius impressum est, ut tabulae. Audit tot testes, illud confirmantes. Illi simul in animo ipsis illi praeservato sunt subscripti. Quid igitur? Multos novit esse falsos testes. Erigit igitur dominum iudicii, vel tribunal in conscientia sua, et cupit de testimoniis veritate plene esse persuasus. Citat igitur testes ad comparendum. Quod reuerenter dictum esto, et recte accipiendum est. Nam Deus hominem facit in scriptura iudicem sui testimonii. Examinat homo legem et prophetas. Instituit inquisitionem et persecutatem testimoniis. Confert testimonium Moysi cum testimonio prophetarum; testimonium Patris et Fili cum testimonio Moysis et prophetarum; opera Christi confert cum testimonio Christi et Patris eius; et cum his omnibus comparat testimonia discipulorum Christi.

Spiritus nostri testimonium in eo consistit, vt, si gnorismata fidei, in sacris paginis proposita, in nobis reperimus, ex iisdem intelligamus, nos in filiorum Dei numero esse, paterno amore Dei frui, adiutumque nobis patere ad Patris caelestis solum. Hinc animi, de felicitate sua ex indicis indubitatis sibi consciis, oritur tranquillitas ac securitas, quam gaudium sequitur inenarrabile coniunctioque solida, quod in statu gratiae simus.

st. Accedit iam *Spiritus sanctus*, qui illum interna animi illuminatione facit agnoscere illa testimonia. Quando comperit, omnia inter se consentire; hinc sequitur iudicium, quod huiusmodi est: *Prodiit illud praeterviato de Christo coram me, et omnibus probe examinatis testimoniis comperi, amice eos consentire;* unde confirmo et stabilio illud. Atqua haec est η βεβαίωσις τῶν μαρτυριῶν in ipsis credentibus, qua subscriptibunt ipsis τῷ μαρτυριῷ τῷ Χριστῷ, et non euadunt illius testimonii testes iudiciales. *i. Ioan. V. 10. Ioan. III. 33.* Sed praeter haec est quoque aliqua βεβαίωσις, confirmatione, doctrinae euangelicae, ut consignata est in animo creditum, quae fit a Spiritu sancto, tamquam iudice, suo testimonio illam quasi obsignante et confirmante: de qua Ioannes I ep. c. V. 6; et *Spiritus* est, qui testatur, *Spiritu esse veritatem.* Veritas enim euangelii, testimoniis suis signata, peculiarem quandam σχέσιν habet ad *Spiritum sanctum*: cuius est, illam veritatem suis χαρακτήρibus et operationibus gratiae obsignare et confirmare. Si enim verum est, quod in euangelio praedicatur, *Iesum esse Christum;* si testes, qui id adserunt, verum testificantur: oportet, illa euangelii praedicatio comitem habeat *Spiritu sanctum* cum variis operationibus gratiae in animo peccatoris, quia *Spiritus* suis illis donis et operationibus gratiae quasi discernit et diuidicat legem ab euangeliō, et euangelium verum a falso, ut *Paulus ad Galatas III. 2.* *Spiritus* igitur *santus*, et in *Spiritu ac per Spiritum*, Pater et Filius, quasi sunt iudices, testimonium de *Christo* in animo creditum suis donis et operationibus gratiae quasi iudicialiter confirmantes, ut adeo credentes de illo testimonio amplius non dubient. *Conf. Ies. VIII. 16.* Vid. *CAMPATEGIVS VITRINGA* in obs. sacr. Cap. I. §. XIV. p. 512, seqq.

03

mus. Quam vero hocce spiritus nostri testimonium ob φιλαυτίᾳ prauam, a qua nec credentes penitus liberati sunt, in deuia nos trahere atque in errores nocentissimos detrudere queat, omni nobis studio eo allaborandum est, vt istud sit ἀξιοπίστον veritatique omni ex parte consentaneum. Non enim deficiunt homines, qui ex peruersissima persuasione se diuites ditatosque esse dicunt, nec vlla re indigere putant, neque, supina laborantes ignorantia, sciunt, se esse acerumnosos, et miseros, et pauperes, et caecos, et nudos. Apoc. III, 16. Deum se scire profitentur, et eundem factis negant, ideoque nefarii sunt, et contumaces, et ad omnem rem bonam inepti. Tit. I, 16. Immo tanta est caecitas nonnullorum, qui sibi se iustos esse persuadent, aliosque contemnunt, Luc. XVIII, 9, vt etiam Christo in iudicio extremo dicturi sint: Domine, Domine, nonne tuo nomine vaticinati sumus? et tuo nomine daemonia expulimus? et tuo nomine multa prodigiose fecimus? Quibus vero Christus, παρεδίσησεν omniſcius, aperte respondebit: Numquam cognoui vos, veluti sanguine meo confpersos ac Spiritu meo obsignatos: facessite a me, malefici. Matth. VII, 22. 23. Iſti hypocritae manifeste declarant, quam fraudulentum sit cor hominum, et fatuis eos adnumerandos esse, qui proprio cordi confidunt, Prou. XXVIII, 26. Quippe in re maximi momenti, quae ad salutem pertinet aeternam, egregie se decipi finunt.

§. LXI.

Testimoniū
um spiritus
noſtri.

Ne vero horum vestigia premamus turpissima et fallacissima, duo in antecessum momenta accuratissima mientis trutina sunt consideranda. Alterum est, vt gnorismata, quae extra dubitationis aleam ponunt, et luculentissime docent, nos veros et genuinos Dei filios esse, ex sacro codice satis perspecta recteque cognita habeamus. Alterum vero, vt earum rerum, quae intus in nobis geruntur, consciī nobis simus, vtque explorationem diligentissimam arque examen operosissimum

mum instituamus, vtrum ita simus animati diuinitus, quemadmodum Deus in verbo suo eos notauit, qui in communione cum Christo vere viuunt, quosque ut filios suos adoptauit. Isto ordine si procedamus, tunc demum spiritus noster vere et indubitate testari potest, an filii Dei simus, nec ne. Nisi enim filiorum Dei criteria in nobis reperiantur, quomodo in verbo diuinitus scripto leguntur, in familia Dei nequaquam numerari possumus. Indicia filiorum Dei plurima in sacro codice recensentur: potiora eorum eo respiciunt, ut vera fide praediti 1) mente Christi habeant, 1 Cor. II, 16, eumque sequantur; 2) in luce versentur, sicuti Deus in luce est, 1 Ioan. I, 7, neque carnis cupiditatem perpetrat, Gal. V, 16, sed potius sint imitatores Dei, ut filii dilecti; Eph. V, 1; 3) amore filiali patrem suum caelestem amplectantur, 1 Ioan. IV, 19, praeceptaque eiusdem ex intimi animi affectu seruent; Ioan. XIV, 23; 4) Deum reuerenter in Christo colant, 1 Petr. I, 17, delictorum suorum veniam supplices expetant, Ps. CXLIII, 2, et ad quaevis officia pietas promtos paratosque se illico fstant; Ps. CX, 3; 5) verum denique amorem erga omnes homines, ne hostibus quidem exceptis, Matth. V, 44. 45, praecepit vero φιλαδελφιαν puramente atque impense exercant. 1 Petr. I, 22. 2 Petr. I, 7. Haec gnorismata ita sunt comparata, ut in omnibus Dei filii adpareant, licet diuerso modo, nec pari mensura. Alii enim, qui gratia Dei fideliter vtuntur, distinctius atque accuratius imaginem Dei ipsis impressam declarant in omnibus suis actionibus; alii autem multis adhuc infirmitatibus sunt obnoxii, multisque circumdati impedimentis, ut habitum nouum, a Deo acceptum, vix in se sentiant ac difficulter demonstrent, sinceritati tamen studeant, atque gratia et robore Christi suffulti, in dies progressius in sanctimonia faciant, ipsi quamuis non semper eos in se satis distinete animaduertant. Quod plerumque ex nimia sui dissidentia fieri solet, nec non ex usu medio-

rum

rum salutarium neglecto, neglectaque salutis a Deo iamiam impertitae consuetuione eiusque abusu. Hinc enim sensus reliquiarum peccati vehementior, gustus gratiae diuinæ defectus, magnaque animi ariditas oritur, nec desunt tela satanae ignita. Vnde animus vere credentis grauiter tentatur, afflitaque conscientia de gratia Dei dubitare incipit. Quemadmodum vero natus ex Deo extra statum tentationis ex criteriis indubitatis certissime perspicere potest, se in Dei communione viuere: ita nec illis, qui, tentati, se excidisse gratia Dei, eaque iam indignos haberi, atque omni eiusdem spe priuatos esse, ex conscientia erronea putant, facultas deest, ex indicis veris rectissime diiudicandi, quod Deum habeant propitium, eoque, veluti filii, vtantur Patre clementissimo. Huc spectant verba Ioannis 1 epist. III, 19. 20. 21. 22, quac ita se habent: *In hoc cognoscimus, quod ex veritate sumus, et coram Deo tranquillamus corda nostra; quod, quando condemnnet nos cor nostrum, maior sit Deus corde nostro et omnia cognoscat. Dilecti, quando cor nostrum nos non condemnat, parrhesiam habemus ad Deum; et quidquid petimus, accipimus ab ipso, quia mandata eius seruamus, et ea, quae placent, coram ipso facimus.* Loquitur Apostolus de testimonio spiritus nostri, vnde certitudo de *vioðeolæ* nostra ortum trahit. In duplice vero statu vere credentes proponit. Alii sunt in statu afflictio, alii in statu integro citraque temptationem constituti. Vterque horum ex criteriis certis dignoscere potest, quod sit ex Deo natus. Gnorisma est in genere obseruatio mandatorum diuinorum, in specie vero amor erga fratres sincerus. Haec indicia sunt effectus gratiae, per quam Deus nos adoptauit. Effectus ergo testatur de sua causa, fructusque sancti arboris bonae indolem declarant. Numquam enim praeceptis diuinis pareremus, nec φιλαδελφία in nobis reperiatur, nisi ex Deo geniti viribusque diuinis donati essemus. Quod si ergo vel maxime tentatorum cor eos condemnnet, arguat et reprehendat, bono tamen

tamen animo esse possunt, quoniam critera certissima in se deprehendunt, quae de statu eorum gratiae siue de eorum *viōθeſt̄a* luculentissima edunt testimonia, quaeque Deus omniscius optime cognoscit. Quare a iudicio conscientiae suae erroneae et fluctuantis inferiore prouocat tentatus ad iudicium Dei veracissimi superius, et ex sensu atque praxi φιλαθελοφιας, quam in se animaduertit, nec in dubium vocare potest, certo colligit, se esse in gratia Dei, Deumque, tamquam Patrem suum, ipsum nequaquam esse damnaturum. Vnde fit, ut ea cordi dubitanti persuadeat, quibus ad tranquillitatem coram Deo adducitur. Sincera enim verae caritatis fraternae praxis, de qua quilibet vel grauissime tentatus certus esse potest, regenerationis est indicium, confirmatque, eos, qui fratres amant, ex veritate Deique filios esse: atque ex hac consideratione et conuictione inquieti pectoris fluctus componuntur, et fidelis, fructus gratiae in se animaduertens, in conspectu Dei ambulans, et ad normam legis praescriptae vitam instituens, fiduciam de Dei gratia concipit atque in Deo secure adquiescit. Multo magis autem testimonium spiritus sui euidentissimum de statu gratiae habent, qui pacata et tranquilla fruuntur conscientia. Praecepta seruant diuina, faciuntque ea, quae Deo placent. Ex hoc gnorismate oritur spiritus sui testimonium, quod sint filii Dei. Quae conuictio πραγμάτων πρὸς τὸν Θεόν gignit, nec non indubitatam de precum exauditione persuasione: accipiunt enim a Deo Patre, quidquid, tamquam filii ipsius, in nomine Christi ab eo petunt. Quae exaudito maiorem de *viōθeſt̄oſ* adserit certitudinem, diffidentiae, haesitationi atque anxietati cunctae oppositam. Sedulo autem hic caendum est, ne animi nostri serutinum persunditorie instituimus, nec hypocritarum instar decipiamus. Sollicita atque accurata in hac re maximi omnino momenti opus est exploratione, ut omni studio absque philautia inordinata sedulo attendamus, vtrum indicia, quae de filiis Dei in sacro codice leguntur,

leguntur, in nobis deprehendantur. Hoc quando spiritus noster euidentissime cognoscit, tunc testimonium perhibet firmissimum, nos paterno Dei amore frui, filiosque ipsius absque omni dubitatione esse; quae firma perſuasio animum nostrum non nisi laetum, hilarem et tranquillum reddere potest, excitat quoque eundem, nec non diuinis corroborat viribus nouis, ad exequenda ea omni sinceritate, quae Patris caelstis voluntati conueniunt. Procedit autem spiritus noster, de *vicioſoſtate* noſtra certiores nos reddens, ea methodo, qua in ſcholis vti ſolemus, cum ex propositionibus praemiffis conſuſionem eliciamus. Praemiffae quando firmo nituntur fundamento, tunc conſuſio recte ſe habet. Illae autem si vitio quodam laborant, nec haec veritati conſentanea eſt. Sedulo ergo diſpiciendum eſt, ne in ratiocinio ſpiritus nostri opiniones quaedam fallaces inueniantur. Si enim antecedentes propositiones fallacieſ ſunt, falſa quoque eſt conſuſio conſequens. Maiorem in hoc ſyllogismo conſtituit criterium iſpum, quod in ſacra ſcriptura expreſſis verbis legitur. Minor inuoluit adpiſionem criterii ad ſatum animi noſtri. Conſuſio autem comprehendit testimonium iſpum noſtri ſpiritus. E. g. Ioannes ait epift. I. c. III, 14. 15: *Nos ſcimus, nos a morte ad vitam tranſuſſe, quoniam fratres amamus.* *Qui fratrem non amat, manet in morte.* Hic inuenitur 1) propositio maior, quae exhibet *vicioſoſtateſ* noſtræ gnorimæ certum, et ita ſe habet: quicumque fratres amat, ille vita praeditus eſt ſpirituali; et ex oppoſito: quicumque fratres odio habet, ille manet in morte ſpirituali. Hocce criterium eſt euidentiſſimum; quoniam nititur effato Dei veraciffimi. 2) Nunc ſequitur ſcrutinium conſcientiae, quod ſpiritus noster iſtituit, explorans, vtrum amor fratrum in nobis locum habeat, vel non. Examinit ergo homo ſeinet iſpum, vtrum ita erga fratres ſit animatus, quemadmodum Deus a filiis ſuis requirit. Descriptio autem ac denominatio indolis et mentis noſtræ internæ minorem

minorem constituit, et ita se habet: ego fratres vere amo, meique erga eosdem amoris mihi conscientius sum; vel ex oppo-
fito: filios Dei, quos magni facere me oporteret, odio ha-
beo, atque inimicitiam aduersus illos in me sentio. 3) Hinc
denique pro diuersa praemissarum ratione conclusio existit di-
versa, quae dictamen conscientiae seu spiritus nostri exhibet
testimonium, vel adfirmans, vel negans, nos filios Dei esse.
Hoc modo unusquisque hominum, qui salutis suae curam gerit,
veritatisque studiosus est, facilime certus fieri potest, vtrum in
Dei viuat communione, an non. Spiritus enim regenerantis
effecta testantur de regeneratione ipsa. Quumque ea spiritus
noster explorata habeat, quod in nobis ita reperiantur, quem-
admodum ea verbum Dei proponit, ideo de statu gratiae no-
stro sine formidine oppositi testari firmiter potest, atque ex
certissimis indiciis, quae menti repraesentat, facitque, ut eo-
rum nobis conscientia simus, persuadet nobis ac dictitat efficaciter,
nos filios Dei esse, quos non solum Pater adoptauerit,
sed etiam paterno prosequatur amore, quosque futuros confi-
tuat haeredes in omnem aeternitatem.

§. LXII.

Huic nostri spiritus effato accedit quoque *altissimi Spiritus testimonium*, errare nescium, neque nos anxious et dubios de
saliute nostra relinquens. Namque συμμαρτυρεῖ αὐτὸν τὸ πνεῦμα
τῆς οἰδείας τῷ πνεύματι ἡμῶν, ὃν ἐπέκει τέλος Θεός. Est ita-
que Spiritus sanctus in fidelibus, qui, tamquam παράγοντος
omniscius, profundissimorum mentis diuinæ arcanorum ac
consiliorum intime conscient et infallibilis eorumdem interpres,
infallibili plane ratione de intimis amoris diuini erga nos re-
cessibus testatur. Siquidem omnia generi humano adquisita,
et in euangelio promissa bona credentibus in Christum non
solum donat; sed et de gratia Dei eos efficaciter conuincit,
et testimonium spiritus nostri ita confirmat, ut summa inde animi
tranquillitas, suauissimum in aduersis omnibus solatum, et

Testimoni-
um Spiritus
sancti.

maxima παρέγνωσις in vnione cum Christo ac communione cum Deo triuno oriatur. Nostri spiritus testimonium non omne nobis dubium quoquis tempore quauisque occasione, praecipue quando animus interdum sollicitatur ac perturbatur, eximit: conscientia enim aut plane nonnumquam errat, Ioan. IX, 40. 41. Apoc. III, 17, aut faltem vacillat, immo non raro nos damnat. 1 Ioan. III, 20. His nostris succurrit infirmitatibus Spiritus sanctus, animorum indagator omniscius, vna cum spiritu nostro testando verissime, nosque in eo firmissime confirmando, quod gnorismata ~~videlicet~~ in nos omnino quadrent, veraque et genuina criteria, quae sacer codex de Dei filiis exhibit, in nobis credentibus inueniantur, ideoque nomina nostra inscripta sunt vitae libro^{*)}). Luc. X, 20. Phil. IV, 3. Hoc illud est testimonium, quod David precibus ardentissimis a Deo contendebat Ps. XXXV, 3: *Dic animo meo, salus tua ego sum.* Parri ratione Iobus in maximis ac vehementissimis suis anxietatibus, solatii diutini plenus, exclamauit: *Equidem noui, redemptorem meum vivere.* Cap. XIX, 25. Testificatio haec diuina et supernaturalis tenebrarum filiis atque in caecitate mentis suae prauae versantibus plane incognita est, qui nec spiritum illuminatum et sanctificatum habent, Iud. v. 19, nec spiritum veritatis accipere possunt; Ioan. XIV, 17; ideoque

nec

**) Tria considero, in quibus tota spes mea consistit: caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmuraret iam, quantum voluerit, insipiens cogitatio mea, dicens: quis enim es tu? aut quanta est illa gloria? quibusue meritis banc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondeo: Scio, cui credidi, et certus sum, quia in caritate nimia adoptauit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione. Hic est finiculus triplex, qui difficile rumpitur: quem nobis a patria nostra in hunc carcерem usque demissum, firmiter, obsecro, teneamus, ut ipse nos subleuet, ipse nos trahat, et pertrahat, usque ad conpectum gloriarum magni Dei.* AVGUSTINVS apud CHEMNITIVM Loc. Theol. P. II. p.m. 277.

nec testantem illum de fauore Dei paterno in se audiunt neque experiuntur. Qui fide vincunt, illis Iesu tribuit, ut edant ex manna occulto, datque illis calculum album, et in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo nouit, nisi qui accipit. Apoc. II, 17. Ignorant autem increduli non solum, quid sit testimonium Spiritus sancti internum, sed et illud saepius ex supina inscitia eos, qui illud in se vere sentiunt, de eoque maximopere gloriantur. Ut vero momenta potiora testificationis huius diuinae breuiter attingamus, sequentia ad eam potissimum referimus.

- 1) Indicia electionis atque *videtorias* nostrae ab effectibus sanctis petenda sunt: ad quos eliciendos Spiritus sanctus non solum mittitur; Ezech. XXXVI, 27; sed per quos etiam ipse testatur de gratiae nostro statu. Gal. V, 22. Rom. VIII, 14.
- 2) Illuminat idem mentis oculos, splendoreque diuino tenebrarum discutit nubes, quo fideles indicia regenerationis rite ex verbo Dei percipient, iusteque ad interiorem animi sui statum adiplicant, ne per phantasiam perditan, et per speciosas magis quam solidas rationes fallantur; atque hoc modo Christo adhaerentes in omnem dicit veritatem. Ies. XXX, 21. c. XXXV, 8. Rom. IX, 1. 1 Ioan. II, 27.
- 3) Christum in animis credentium glorificat, excellentiam ipsius oculis mentis repraesentando, atque illuminatos in eo confirmando, se omnes perfectiones sibi saluberrimas in Seruatore suo inuenire, eas ad se pertinere, suasque verissime factas esse, seque iisdem ad perennem suam salutem libere frui posse.
- 4) Testatur porro per experientiam spiritualem, bonaque divina animis credentium ita insinuat, ut videant, sentiant et gustent promissa euangelica, in iisque cum dulcedine ineffabili mirabiliter delectentur.
- 5) Accedit quoque persuasio interna, verbis humanis non explicanda, quae credentes dilectosque Dei adoptionis suae certiores reddit, ex qua suauissimae blandissimaeque fluunt consolationes, nec non motus dulcissimi efficacissimique ad sanctimoniam omni nisu ac studio indefesso

indefesso prosequendam. 6) Nonnumquam denique modo plane extraordinario testimonium Spiritus sancti de certitudine *videtolas* suae in se animaduertunt, quando donum caeleste aequique futuri virtutes gustant, Hebr. VI, 4, quando sufficiunt et saturantur vberem consolationum Dei, nec non delicias agunt e splendore eius; quando ad latus Dei portantur, et super genua Sponsoris sui oblectantur, diuinaque consolacione perfunduntur, vt quispiam, quem mater sua consolatur; Ies. LXVI, II, 13; quando sponsus sponsam suam osculatur osculo oris sui, Cant. I, 2, eamque introducit in locum coniugii, sive cellam vinariam, et amoris velo tegit; cap. II, 3; quando tandem fideles gaudio exsultant inestabili et gloriose. I Petr. I, 8. Haec sunt testimonia euidentissima, quae, vbi sunt, manifeste docent, nos in Dei familiam receptos esse. Tam candida credentium mentes per Spiritum sanctum perfunduntur luce, vt certissime sciant, se filios Dei esse. Haec autem testificatio non nisi experiendo cognosci ac diiudicari potest. Nemo quoque eiusdem fit particeps, nisi antea profundo miseriae sensu contritus fuerit. Nec unquam animi fidelium dulcissimo Spiritus testimonio recreantur, vt non simul ad intensum verae pietatis studium virtute diuina excitentur. Nec denique credentes, spiritu laetitiae et firmitatis ob-signati, tantorum obliuiscuntur beneficiorum, quibus Deus eos impertivit; ita potius semetipsos adloquuntur: *Collauda, anima mea, Iehouam, et totum meum pectus, sacrum eius nomen. Collauda, anima mea, Iehouam, tot eius beneficiorum haud immemor.* Qui tuis tot vitiis ignoscens, tuos tot morbos sanat. Qui vindicat ab interitu vitam tuam, clementia te et misericordia corona-nans, tibi de suo in te favore benignissimo testimonium perhibens dulcissimum firmissimumque. Ps. CII, I, 2. 3.

§. LXIII.

VIII. Ob-signatio denique Spiritus sancti *confirmat fide Iesu Christo vera addiclis futuram haereditatem, quam in hac vita*

Confirmatio
ipie.

vita adhuc exspectant, et tandem in omnia secula possidebunt. Ex singulari Dei misericordia regeniti sunt in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, ad haereditatem, quae nec corrupti potest, nec contaminari, nec marcescere, in caelo seruata illis, qui diuina potentia per fidem custodiuntur ad salutem, ultimo tempore exhibendarum. 1 Petr. I, 3. 4. 5. Habent iamiam in hac vita fideles praegustum bonorum futurorum, quem Paulus Rom. VIII, 22 spiritus primitias nominat: sed gemunt, eodem Paulo I, c. testante, intra semet ipsi, adoptionem adhuc aliam in regno caelesti exspectantes, liberationem nempe sui corporis in die nouissimo. Ut vero, tamquam spei salutis galea induit, 1 Thess. V, 5, spemque propositam, velut ancoram habentes animi tutam atque firmam, et usque in ea, quae sunt intra velum, ingredientem, Hebr. VI, 18, nulli de futura gloria dubitant; ideo Spiritu promissionis sunt obsignati. Iesus, Sponsor noster, haeres constitutus est primarius, ob obedientiam suam Patri praefitam absolutissimam. Hebr. I, 2. Sed eam ob causam Mediatori nostro omnia tradita sunt bona, ut vitam det aeternam iis, quoscumque Pater ipsi dedit. Ioan. XVII, 2. Quare nobis iuit locum paratum in Patris sui domo, et rursus venit ad credentes, ut eos secum adsumat, ut, ubi ipse est, etiam illi sint, Ioan. XIV, 3. 4, tamquam cohaeredes donorum caelestium *). Rom. VIII,

*^o) Praeclara sunt, quae DANNHAVERVS in hodoſophia, phænomen. IX. p. m. 927, de κληρονομίᾳ fidelium sequenti modo effatus est: Insigne axioma est ἐξεστατική κληρονομία, quae ex iure filiationis per se sequitur, ex iure non tantum hebraeo, Num. XXVII, 6; sed et gentium, ac nominativi romano, quo lex quaedam tacita liberis parentum haereditatem addicit. Et συγκληρονομία cum Christo, tamquam περιτόκος. Ille κληρονόμος πάντων est, Hebr. I, 2: nos precario, atque illius fratri in nos merito et beneficio. Ipsum autem haereditatis nomen tria præcipua indicat: patrimonii caelestis gratiam indebitam, gratiae soliditatem, et pretium. Gratiani

VIII, 17. Pronissam hanc haereditatem ostentat Spiritus sanctus, et in eius exspectatione fide praeditos virtute sua diuina confirmat conseruatque, nec non de bonis futuris certissime adsequendis in animis eorumdem testatur. Vnde sit, ut diuinæ gloriae spe gloriantur, Rom. V, 2, ac censeant, ea, quae hoc tempore patientia sunt, nequaquam esse paria gloriae, qua sunt adisciendi. Cap. VIII, 18. Sciunt etenim ex interna Spiritus sancti testificatione, si terrestris suae domus tabernaculum dissolutum fuerit, aedificium se habituros esse a Deo, domum nullis manibus factam, et sempiternam in caelis. 2 Cor. V, 1. Ob illud testimonium de haereditate, post hanc vitam a fidelibus exspectanda, credentes spiritu ob-signati dicuntur ad liberationis diem, Eph. IV, 30, Spiritusque, quo sunt ob-signati, arrha, sive arrhabo adpellatur, quem Deus illis dedit, quos ad aeternam vitam præparauit, 2 Cor. V, 5, quorumque cordibus indidit, quos ob-signauit, 2 Cor. I, 22, quique arrhabo haereditatis nostræ audit, ad obtinendam redemtionem, ad laudem gloriae Dei. Eph. I, 14. Redemtio spectat hic partim ad diem mortis, quo ab omni malo fideles liberantur; 2 Tim. IV, 18; partim ad diem extremum, quo liberationem corporis quo-

tiam indebitam; nam si ex gratia, non est ex meritis. Omnis autem haereditas gratiae est beneficium, gratitudine quadam amplectendum, nullo tamen merito acquirendum. — — — Gra- riae soliditatem: Differit enim patrimonium a munieribus. Mu- nera sunt mobilia; at patrimonium possesso est soli, fixa, immo- bilis, inalienabilis. Talis enim fuit haereditatis terræ Canaan fortitio diuisa, ut nemini licueret eam in perpetuum alienare. De- niique pretium tribus elogis commendatum a D. Petro ep. i. cap. I, 4, ubi vocatur κληρονομία ἀρχαῖς, αὐτοῖς, καὶ ἀρχαῖ- ρος ἀρχαῖς, quia omnis corruptiles; αὐτοῖς, quia omnis inquinamenti; αὐτοῖς, quia omnis deforescentiae secura; nec minuitur copia possessorum, (verba sunt August. in Ps. CXLIX) nec sit angustior in numero ceterorum, sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus.

quoque exspectant. Rom. VIII, 22. Quimi enim Spiritus eius, qui Iesum ex mortuis excitauit, habitat in nobis, is, qui Christum ex mortuis excitauit, etiam mortalia nostra corpora revocabit in vitam, per habitantem in nobis Spiritum suum, Rom. VIIH, 11, quem effudit super nos copiose per Iesum Christum, Seruatorem nostrum, cuius gratia et iusti et haeredes vitae, quae speratur, aeternae, facti sumus. Tit. III, 7. Quamdiu autem in hac peregrinatione ex Patris voluntate manemus, de liberatione certissime futura, et de haereditate in patria caelesti aliquando obtainenda nulli dubitare debemus. Promissio Dei veracissimi nos haesitare non sinit, et Spiritus, tamquam arrhabo nobis datus, omnes cogitationes dispellit fluctuantes. Non enim pignus tantum est gloriae nostrae aeternae *), nec solum testis nuptiarum cum Sponso nostro post hanc vitam celebrandarum : sed potius obses Dei est praestantissimus in animis nostris, confirmans nos de omnibus in futuro seculo promissionibus implendis, quae et animi a corpore soluti aeternam requiem, et corporis cum anima in die nouissimo coniunctionem, eiusque cum anima vnitii glorificationem sempiternam respiciunt ; immo est pars haereditatis nostrae, quae in antecessum nobis traditur, ex cuius inhabitacione in animis nostris suauissima atque efficacissima primordiis aeternae vitae cum maxima fruimur voluptate ; quare fideles

*) Interest in loquendi vsu inter *pignus* et *arrham*. Nam *pignus* est, quod datur propter rem creditam, quae dum redditur, statim pignus auferunt. *Arrha* vero est primum, quod pro re, bonae fidei contractu emta, ex parte datur et postea completur. Est enim arrha complenda, non auferenda. Vnde, qui habet arrham, non reddit sicut pignus, sed desiderat plenitudinem. ISIDORVS libr. V. cap. 25. Interim non raro haec vox sumitur pro pignore, nec semper obseruatur discrimen inter pignus et arrham. Vid. ADAMI RECHENBERGII Histolex. Real. p. 127.

Q

fideles spiritus primitias in hoc seculo habere dicuntur. Rom. VIII, 22 *). Hocce arrhabone credentes ornati, sanctisque per eius virtutem repleti affectibus et desideriis, norunt, cui crediderint, ipsisque persuasum est, Christum depositum eorum custodire posse in diem illum extremum; 2 Tim. I, 12. Et viuere ipsis Christus, et mori lucrum est, ideoque migrare cupiunt et cum Christo esse. Phil. I, 21. 23. Aduentum Domini sui amant, a quo iustitiae coronam sunt adepturi; 2 Tim. IV, 8; exspectantque eundem a caelis, vbi conuersatio eorum est, qui et humile eorum corpus ita transfigurabit, ut eamdem cum gloriose eius corpore formam habeat, pro ea vi, qua ipse sibi subiicere potest omnia. Phil. III, 20. 21. Virgines sunt prudentes, quae oleum cum lucernis sumserunt in vasis suis, dum sponsus suo obuiam proficiscuntur: quandoque sponsus venit, paratae sunt, et cum ipso ingrediuntur ad nuptias. Matth. XXV, 1. 4. 10. Sunt ipsis, velut seruis Iesu Christi obsignatis, latera succincta et ardentes lucernae, similes-

*) Quae de arrha prolixie dici possunt, DANNHAVERVS brevibus complectitur verbis, quae in *bodosophia, phoenom.* IX, p. m. 235. ita sonant: *Arrhabo sane certissimum est signum accipiendi, quod rei promissae, vel conductae, vel acquisitae possessionem. Arrha dicit 1) testimonium relativum, non solum veri objecti, sed et certi, mibi. 2) Obsignarium, non tam rei quam personae, quo persona signatur, ut sciat, se in numerum eorum adscriptam, ad quos ius aliquod pertinet: sicut aureum torqueum rex largitur suis equitibus, ut certum habeant, non tantum aliquos equites, quibus aliquid sit priuilegium, sed ad se nominatum id pertinere. 3) Repraesentacionem rei habendae: est enim pignus quoddam repraesentatio rei futurae, in cuius locum illud datur. 4) Irreuocabilitatem, quoad fides ab altera parte serueretur. Dum contra pignus praesito promisso revocari queat. Inprimis autem commendanda est B. D. BENED. GOTTLÖB CLAVSWITZII commentatio de *Spiritu sancto, arrhabone, vigiliis pentecostes anno clo 15 ce XXXXVII Academiae nomine edita.**

similesque sunt hominibus, dominum suum exspectantibus. Luc. XII, 35. 36. Homines mundani apparitionem iudicis summi maxime metuunt et horrent, Spiritum promissionis quia non habent: fideles autem intensissimo in Christum ardent affectu, eiusque aduentus ad iudicium mera ipsis est laetitia; vnti enim sunt cum ipso, quasi sponsa cum sponso, bonitatem ipsius in hac vita largiter sunt experti, bonum praevident exitum, et spe vitae praediti sunt aeternae: quare Spiritu sancto, sigillo et arrhabone, affecti motique, exclamant animo hilari: veni, Domine Iesu! Apoc. XXII, 17. Sciunt enim ex testimonio diuino interno, se, tamquam filios Dei, quos Pater caelestis summo prosequitur amore, quum id patet factum fuerit, quid sint futuri, quod quidem ipsis in hoc mundo adhuc latet, similes fore Christi, fratris sui primogeniti: vt pote quem cernent, sicut est, 1 Ioan. III, 1. 2, coram quo παρέγνοται habebunt, neque erubescerent in eiusdem aduentu. Cap. II, 28. Tantam debent felicitatem Spiritui sancto, qui promissa euangelica credentibus et confert et in animis eorum obsignando confirmat. Quapropter θαρρεῖτε πάντοι, confidenti semper sunt animo, maximopere contendentes, ut et hic praeentes, et hinc absentes, Deo suo, in Christo, vi et efficacia Spiritus sancti, in ipsis habitantis, accepti sint placentque. 2 Cor. V, 6. 9.

§. LXIV.

Rationes nunc exposui, ob quas Spiritus sancti gratia con-
currans et cooperans sub nomine sigilli in sacro codice nobis
proponatur. Quae adhuc addenda puto, summatim comprehendam, ne filium dissertationis nimis longe extendere videar. Ex dictis vero unicusque luculentissime patet, Spiritu sancto a Deo donatos omnium omnino hominum felicissimos summo iure adpellandos esse. Ob signatio enim summatum hominis in hac vita constituit felicitatem, ut vere glorificatio huius vitae dici queat. Signati Spiritu Deum possident ut bonum
Q. 2

Ob signatio-
nis effectus.

summum, Ps. CXLIV, 15, gloriantur de divitiis, quibus in Dei possessione fruuntur, Ps. XVI, 5, 6, diuinæ participes facti sunt naturae, 2 Petr. I, 4, vt sponsa Christo, sponsa suo, adhaerent, Hos. II, 19, eius opulentia ditantur, vertate eiusdem pascuntur, eius potentia custodiuntur, eius virtute et prouidentia conseruantur, eius sapientia reguntur, eius benignitate recreantur, eius sufficientia implentur, eius omnipotentia corroborantur, eius suauitate resocillantur, eius consolatione confirmantur, eius benedictione exhilarantur, gratia denique eiusdem futurae gloriae certiores redduntur. Beatum ergo omni iure David cum praedicat, quem Deus elegerit, quem sibi adpropinquare fecerit, vt habitet in atriis suis; saturatur ille bono domus caelestis, sancto palatii Dei. Ps. LXV, 5. Quando autem homo obsignatus immensam Dei erga se caritatem laeto animo sentit et gustat, tunc exardescit in ipso amor in Deum, patrem suum benignissimum, et ad cultum, Deo praestandum, et ardenter et alacrior redditur, ita, vt non aliter possit, quam eum redamare, a quo amatus est, eique pro tot tantisque beneficiis gratias habere deuotissimas, quas et animo habet, et agit, atque in tota vita omnibusque suis actionibus sancte declarat. Hocque demum indubium est indicium, si quis pietati sincero animo studet, eum a Spiritu sancto obsignatum, et vera laetitia a Deo perfusum esse. Quisquis enim in communione cum Deo ex gratia obsignante plenum habet gaudium: ille ex eiusdem gratiae impulsu in luce quoque ambulat, sicut Deus in luce est. Qui vero dicit, noui Deum meum, ipsiusque fruor bonitate, et tamen praeculta eius non obseruat, mendax iste est, nec in eo veritas comprehenditur*). 1 Ioan. I, 4, 7. c. II, 4.

§. LXV.

*) Quando anima de immensa Dei erga se caritate ipso Spiritu auctore certior sit, exardescit redamatione mutua, erumpensque in effusas gratiarum actiones, mene, inquit, Domine, tam eximio, tam immerito honore decorasti, vt filii loco habeas; id nunc familiariter ipse mihi declaras, amorem tuum in cor meum effundendo

§. LXV.

Gratia obsignans non immediate ad nos venit, nec ex-^{Media obli-}
 traordinariam de statu nostro gratiae confirmationem a Deo gnationis pri-
 exspectare debemus; quemadmodum vox clara et distincta e^{maria.}
 caelis audita est, quum Iesu baptizaretur, dicens: hic est Fi-
 lius meus, in quo adquiesco; cælique aperti sunt, et Spir-
 itus Dei, transcedens quasi columba, et super Iesum veniens,
 adparuit; aut quemadmodum angelus quondam Danielem
 tactu suo confirmauit, eique dixit: pone metum, vir desi-
 deratissime; filius es, recipe te ac recollige: Dan. X, 18.
 19: sed obsignatur et confirmatur diuinitus, verbo ac sa-
 cramentis Dei mediantibus. Verbum veritatis, seu euange-
 lium salutis nostræ efficax in se est, et in nostram utilitatem
 efficaciam suam exferit, quando illud audimus, legimus et
 meditamur. Per potentiam eiusdem fides in nobis produci-
 tur, Spiritusque obsignationis reddimur particeps. Ephes. I,
 13. 14. Non enim Spiritus sanctus tantum per verbum reue-
 latum atque inspiratum filuberrime in nobis operatur, sed
 per illud quoque ipse ad nos venit, atque in animis nostris in-
 habitat. Quare non imaginationi, non nostro nec aliorum
 iudicio, non somniis, non persuasionibus nostris, non in-
 sinuationibus philautiae nostræ fides in hac re ardua maximis-
 que momenti habenda est. Ea tantummodo confirmatio iu-
 sta est ac diuina, quae ex verbo scripto oritur, eidemque
 omni ex parte conuenit. Quare et omnes sensationes virtu-
 tesque, quas in nobis animaduertimus, ad normam sacri co-
 dicis examinandæ sunt, et tunc denum pro diuinis reputan-
 dae, si consentiunt cum eodem. Quo quis autem maiore*et*
 adhibet diligentiam in scrutandis *et* recipiendis per fidem
 promis-

Q 3

dendo per Spiritum sanctum, quem dedisti mihi: et ego te non vi-
 cissim omnibus viribus meis amem, colam, obseruem, obediam?
 Vtinam omnium rerum vacua sim, vt solo tui amore replear!
 WITSIVS in Oeconomia Foederum Lib. III. Cap. XI. §. XL.

promissionibus diuinis, atque in obseruandis praeceptis Dei; eo maiorem obsignationis gradum adipiscetur ac in se deprehendet. Sacraenta, diuinitus instituta, offerunt gratiam Dei, conferunt quoque eamdem credentibus, immo confirmant atque obsignant dona a Deo per illa nobis impertita. Circumcisionem Paulus vocat *σφενγίδα τῆς διωσίνης τῆς πίστεως*, quoniam Abrahamus, iustus a Deo ob fidem in Messiam antea declaratus, per eamdem in statu iusto confirmatus est. Idem dicendum nobis de sacramentis noui foederis, quod usus baptismatis ac sacrae coenae legitimus et exhibet et donat et obsignat bona, a Deo in euangelio suo promissa. Prolixius vero de obsignatione sacramentali nunc expondere, nec scopus noster requirit, nec modus rei pertractandae breuior permittit. Opto autem ex animo, ut quiuis, Christo addictus, ita sacramentorum memor sit, ut, quoties pacti baptismalis recordatur, sacraque coena vititur, id quod saepius a credentibus fieri solet ac debet, toties novo sigillo muniatur, sibique firmissime persuasum habeat, Deum ipsi esse propitium, ad quem aditus ipsi pateat fiducia filiali, quique ab ipso ἐν πνεύματι κοντά λαλήσεις fit colendus*).

§. LXVI.

*) Conf. FRIDERICI GUILIELMI IAHR diff. sub Praef. CHRIST.
 FRID. BAVER Vitembergae habit. de Sacramento Baptismi, gratiam diuinam in infantibus vere obsignante. D. AEG. HVN-
 NIVS Q. Q. de Sacram. de obsignatione sacramentali ita scribit: „Non principaliter panis et vinum habent vim obsignandi
 „nobis gratiam euangelio promissam; sed corpus et sanguis
 „Christi sunt pignora illa praestantissima, quibus aeternus
 „Dei Filius nobis sacrofancetas suas promissiones obsignat: pla-
 „nne ut in baptismo non aqua principaliter, sed Spiritus sanctus
 „est pignus et arrhabo, haereditatem caelestem nobis obsignans.”,
 BASILIVS Libr. III. contr. Eunom. baptismum vocat *σφενγίδα*
ἀνεπιχείρητον. AVGVSTINVS de Catech. rud. cap. XXVI. sa-
 cramenta in genere nominat *visibilia rerum diuinarum signa-*
cula.

§. LXVI.

Mediis primariis addo secundaria. Ad quae potissimum refero 1) studium indefessum in vitae sanctimonia proficiendi frumentus fidei Deo gratos acceptosque edendi haud exiguos. Quod magis enim diuinae participes reddimur naturae: eo magis corruptionem, quae in mundo est per cupiditatem prauam, effugimus. 2 Petr. I, 4. Animus autem vanitatis terrenae vacuus Spiritus sancti repletur donis, quae et confirmando eum in veritatibus caelestibus, et solatium ipsi praebendo dulcissimum, et vires a Deo iamiam acceptas corroborando in eo atque augendo efficaciam suam exferunt. Hoc modo vocationem suam atque electionem credentes firmant faciunt, 2 Petr. I, 10, neque sanctum Dei Spiritum contristant, sed eiusdem operationibus locum potius relinquunt fatalibus, quo obsignati sunt ad liberationis diem. Eph. IV, 30. Oritur inde atque administratur inoffenso pede in via Domini ambulantibus aditus ad aeternum Seruatoris nostri, Iesu Christi, regnum, 2 Petr. I, 11, magnaque adficiuntur laetitia, tranquilla fruentes in Christi communione conscientia, nec non de statu suo gratiae ex criteriis indubitatis atque ex interno Spiritus Dei testimonio certissime persuasi. Quare et ita diuinitus animati ab ipso Deo, Patre suo indulgentissimo benignissimoque, ita ad gaudium excitantur spirituale: Laetamini in Iehoua et exsultate, iusti; cantate omnes recti

cula. TERTULLIANVS Libr. de Poenitent. adpellat baptismum fidei obsignationem: et OECVMENIO ad 1 Petr. III, 21 baptifimus est arrhabo et pignus bonae conscientiae in Deum. Formam per sacramenta signandi in sacramentali, foederali, necessaria et mutua obsignatione sitam esse, dicit IOH. CONRAD. DANNHAVERVS in Lact. Catech. Part. VIII. p. 193; sigillaque sacramentalia nominat p. 196 seqq. 1) inennoneutica praeteritiae oμνειας, 2) significantia praesentis gratiae, 3) excitantia bonae spei.

Media obfignationis secundaria.

recti animo. Ps. XXXII, ii. Lux enim, tamquam symbolum laetitiae verae, sata est iusto, et rectis animo gaudium perenne. Ps. XCIV, ii. Quemadmodum vero animi laetitia effectus est obsignationis Spiritus sancti, per quam credentes et remissionis peccatorum et favoris diuini paterni certiores fiunt: ita et gratia obsignans et conseruat et maius in dies capit incrementum, quando sanctitatis studiosi sumus, et animi ac vitae prauitate Spiritus sancti efficaciam minime impeditimus.

2) *Conuersatio et consuetudo cum Deo intimior aditusque per preces ad Dei solium frequentior, nec non mentis ad Patrem caelestem elatio in nomine Christi indefessa, cum intrepida animi confidentia coniuncta.* Mosis facie cutis radiabat olim ex diuino colloquio. Exod. XXXIV, 29. Sic omnes credentes, Deum in Spiritu et veritate adorantes, atque in precibus suis adsidui, nec non coram Deo et ad praescripta diuina ambulantes, detecta facie splendorum Domini non solum spectant, sed in eamdem imaginem quoque transformantur ex gloria in gloriam, sicut a Domino, Spiritu; qui Patris effigiem, quam in Christo maxime apertam dedit, ex Deo natis magis magisque imprimis, eosque obsignatione sua Deo facit similes: ut, quemadmodum inter Deum, ipsique addictos vera ac fide haud fucata, nexus intercedit arctissimus; ita cognitione, sapientia, sanctitate, iustitia, ac reliquis virtutibus diuinis ornentur, atque ad Dei voluntatem magis conformentur.

3) *Fortitudo animi in aduersis, atque ὑπερουντ̄ haud interrupta in calamitaribus, nec non fida in tentationibus constantia.* Inde enim sit, ut a Deo explorentur et in afflictionis fornace efficiantur selecti; Ies. XLVIII, 10; ut expurgentur velut argentum, et tam puri reddantur, quam est aurum seu argentum, fidesque eorum explorata, auro, quod perit et igni exploratur, longe pretiosior inueniatur, ad laudem, et gloriam, et honorem, quum reuelabitur Iesus Christus. Maleach. III, 3. Petr. I, 7. Hoc modo

modo in aduersis imago Dei magis magisque in fidelibus restauratur : lauant enim inter afflictiones stolas suas et de-albant in sanguine Agni, Apoc. VII, 14, abiectoque omni pondere et peccato, ad eos circumcingendos proclivi, per tolerantiam propositum ipsis stadium decurrunt. Hebr. XII, 1. Ad commodum itaque suum a Deo ipso castigantur, vt participes sint sanctimoniae ipsius : omnis namque castigatio diuina, si finem eius salutarem spectamus, iis, qui per eam sunt exercitati, fructum iustitiae reddit tranquillum, vt manus remissas et genua soluta erigant, rectasque faciant orbitas pedibus suis, et sanctimoniam omni studio sectentur, sine qua nemo videbit Dominum. Hebr. XII, 11-14. Sed ex incommodis credentium commodum quoque istud euenit, vt non tantum omnis consolationis Deus et misericordiae Pater in omni calamitate Christo vera adhaerentes fide consoletur ; quanto enim maioribus propter Christum malis adficiuntur, tanto per Christum maior est eorum consolatio : 2 Cor. I, 3. 4. 5 : verum etiam vt castigentur, tamquam a Deo amati, et verberentur, tamquam Patri caelesti grati acceptique , Hebr. XII, 6, qui fidelis credentium Deus suos non tentari permittit supra quam possunt, sed temptationis cum euentum facit, vt ferendo vincere possint, 1 Cor. X, 13, nec non post cruciatus animos eorum exhilarat donis suis spiritualibus , quae gustant ad salutem suam veram , et sentiunt cum intimo ac suauissimo spiritus sui affectu. Qui enim ferunt cum lacrimis, cum cantu metunt ; quique flendo it , carum semen ferens, redit tandem cum cantu , suos ferens manipulos. Ps. CXXVI, 6. 7. Incrementum itaque gratia diuina in credentibus capit per calamitates et exhilarans et sanctificans ; quare et affectiones in aduersis sunt gratiae obsignantis.

§. LXVII.

Silentio praetermitto reliqua media , quae adhuc ad-
R Dicendum
ratio.
duci

duci possent, vti in primis sunt *examen status animi interioris*, Ps. CXXXIX, 23. 24, *abnegatio et suppressio mali adhaerentis*, Phil. III, 7. 8. seqq. Eph. IV, 22, *indutio noui hominis quotidiana*, Eph. IV, 23. 24, *legitimus usus donorum gratiae iamiam acceptorum*, *eorumque conseruatio fida*, Matth. XIII, 12, *incrementum fidei*, Ioan. XI, 40, *traditio fidelis in manus Domini*, Ps. CXVI, 8, et quae sunt alia. Haec omnia enim cum memoratis fere conspirant, atque ex iisdem facilissimo negotio elici possunt. Nec mentionem facio *impedimentorum gratiae ob-signantis*: quia, mediis rite adhibitis, ea simili remouentur. Neque longior sum in repetendis *criteriis a Spiritu sancto ob-signatorum*: ea enim per totam disputationem sparsim iamiam leguntur. Nec tandem occupatus ero in *commendando tanto bono*, quod fideles ex ob-signatione percipiunt: res ipsa enim loquitur, vt is demum felicissimus omnium hominum sit censendus, qui ob-signatus spiritu, de statu suo gratiae persuasus, in communione cum Deo triuno et laeto et sancto animo viuit. Nec denique in detegendis et refutandis *adversariis*, qui vel in errore circa doctrinam de ob-signatione versantur turpissimo, vel, more simulatorum pietatis, gratiam ob-signantem perperam et absque fundamento iactitant, tempus et operam perdam: viam enim tutissimam monstravi, cum verbis sacri codicis plerumque locutus sum, vtque omnes sedulo caueant, docui, ne diuerticula in hac re ardua maximique momenti quaerant. Finem potius hic facio momenti dissertationis tertii de ob-signatione credentium passua; quartum de actiua post breve temporis interuallum additur, ne lectorum expeditationem longius detinere ac plane eludere videar.



DE

Te 2696

1



TA 502

Am



